

Qd. 124.
~~B 232~~
2



LEOP. ANDR. GVADAGNI
IVRISCONSULTI PISANI
DE
FLORENTINO
CODICE
OMNIVM QVAE EXSTANT
P A N D E C T A R V M
EXEMPLORVM PARENTE
DISQVISITIO

DENVO EDIDIT
VARIASQUE OBSERVATIONES
S V B I E C I T
CAROL. FRID. WALCHIVS, D.

SOCIETATVM LATINAE IENENSIS EPHORVS
FLORENTIN, COLVMBAR, COLLEGA.

IENAE
APVD VIDVAM CROECKERIANAM
CIC 15 CCLV,

FELICIANI / CADAVINI
LURISCONIUS AETATI TERRAM
DE
FELICIANI / NO
CODOICE
OMNIM QVE EXSTANT
M A T E D A Y M
T H E O R I C U M P A R V I T E
D 1 2 6 - 1 3 1 0

D E M O D I N T
U N I T O R E G E S T R A T U S D E
S A T I S C O T
C A L O I F R I D H A Y H A S D I

S O C I E T A T I M Y A T A L I S M A R K A N D E
S T O R K N I T Z D O L M E H A R C O T T E

A T T A X
H A Y H A S D I C O M P O N I T U M
G O D I C E

ILLVSTRI AC CONSULTISSIMO
VIRO
GERARDO MEERMAN
ICTO ET REIPUBLICAE ROTERODAMEN-
SIS SYNDICO CELEBERRIMO
S. P. D.
CAROL. FRID. WALCHIVS.

SI vnquam, Belgium felicissimam in-
geniorum illustrium matrem atque
altricem: optimarum artium officinam at-
que elegatioris iurisprudentiae sedem ac
domicilium esse, statuere potuerunt lit-
teratissimi homines iure meritoque: satis-
facit profecto illud nostra ætate horum
existimationi, dum TE, VIR ILLVSTRIS,
iurisconsultorum elegantium principem, in

sinu complexuque suo fouet. Ego iam non
definiam, ne modestiæ TVAE vim faciam;
vel potius, ne quid mihi sumam, cui me
haud esse parem, bene sentio, quanta quamue
excellens sit, qua abundas, optimarum ar-
tium scientia; nec de incomparabili TVA,
qua dies noctesque a custodia solidæ iuris-
prudentiæ animum haud deflectis, sollertia
eamdem ob rem mentionem faciam. Si
respicio solum præclara, quæ in legitimi-
mas disciplinas fecisti, merita eorumque pon-
dero magnitudinem, illa sunt eiusmodi,
ut iam amplissimis monumentis consecra-
ueris nominis TVI memoriam. Ferunt
TE in oculis omnes, qui litterato in
coetu ciuitate sunt donati; obstupefacti ad-
miratione, quam ipsis mouent opera TVA:
TVVM nomen in iis est magnum: immo
apud

apud illos **TVA** auctoritas tantum habet
ponderis, vt, quod **TIBI** placet, omni-
bus deinde placeat, quodue **TU** damnas, om-
nium, qui de eiusmodi litteris iudicare va-
lent, calculis damnatum habeatur.

HAEC est vera caussa, cur consecrem
hunc, quem vides, libellum nomini **TVO**
celeberrimo, **VIR ILLVSTRIS**, illumque,
a me denuo editum et qualicunque obserua-
tionum iuris ciuilis spicilegio locupleta-
tum, leue tamquam munusculum littera-
rium **TIBI** offeram. Ex quo tempore singu-
larem, qua me dignum putas, benevolentiam
testatam fecisti, optaui occasionem, **TIBI**
ostendendi, **TE** non in prorsus ingratu homine
eoque potius collocare hocce bene-
ficium, qui **TVM** fauorem sibi arbitratur

maxime honorificum. Trado itaque hab-
seruantiae, qua TE TUAQUE immortalia
in iurisprudentiam merita suspicio ac vene-
ror, pignus. Accipias illud serena fronte;
nec metiaris donum modo illius ac leuita-
te; sed pio candidoque potius offerentis
animo; ego vero pro TUA salute vota
nuncupare nunquam intermittam, ut, qui
litterarum ad salutem es natus, iis quoque
quam diutissime conserueris. Ienæ prid.
iduum april. ann. christian. CICCI CCLV.

LECTORI





LECTORI BENEVOLO

S.

CAROL. FRID. WALCHIVS.

Q VVM squaleret terrarum orbis facies
medio, id est, inculto ac barbaro
tempore, agresti quadam immanitate:
codex ille pandectarum antiquissimus,
quo Florentia nunc gloriatur ac superbit, litter-
atis, si qui tunc exstiterint, hominibus minime
ad disputandum præbuit ansam, licet iam, inuen-
tus, Pisis adseruaretur. Nescientes barbari illi,
quantum pretii statuendum sit præstantissimo
huic libro, de eo fuerunt haud solliciti; nec ex-
plorarunt vtilitatem, quam habere potuissent
ex illius lectione: immo tineis blattisue eum
relinquere maluerunt; quam in euoluendo illo
tempus consumere. Sed quanta animorum
illorum siebat permutatio, postquam squalo-
rem suum exuerat Italia seque exornauerat

11130
(4)

huma-

PRAEFATIO.

humanitatis cultu. Perspexerunt nunc, quantum in his digestis haberent thesaurum et in admiranda pariter ac exponenda illius præstanti ætatem sæpenumero contruerunt; præsertim vero maximas ob eundem codicem instituerunt disputationes. Tanta semper in varietate ac diffensione constitutos esse constat homines litteratissimos, ut quod non nullis adrideat, idem displiceat aliis et quo diligentiore contemplatione illi dignum quid putant; eo in maiorem illud hi vocent dicendi controuersiam. Magna cura omnia doctores dudum circumspexerunt in codice Florentino et explorare studuerunt, num codex sit τὸ ἀυτογέαΦον Iustiniani; an tempore illius saltim scriptus: quæ forma in eo litterarum: num vñus; an plures librarii exhibiti sint ad scribendum eum, et num omnium ceterorum pandectarum exemplorum exsistat parent; nec ne Minime his in rebus conspirantibus iurisconsultis et hoc illudue statuentibus, ortæ sunt lites grauissimæ, quæ ducentos ab hinc annos durarunt; nec vñquam sedabuntur. Enarrare singulas, alienum foret ab instituti mei ratione; testatum tamen me id facturum esse, spero, vbi solius controuersiæ, num ex codice Florentino reliqua omnia digestorum manauerint exempla, tradam historiam.

QVAMDIV persuasum | habuerunt iuris-
consulti exploratumque, codicem hunc cele-
berri-

PRAEFATIO.

berrimum esse αὐτογεαφον Iustiniani atque exemplum, quod promulgavit sacratissimus imperator: oriri haud potuit tamdiu memoria controv ersia, siquidem sponte ex isto sequitur, illum librum esse quoque eum, ex quo reliqua exempla sunt descripta; sed tunc demum de eo dubitare hincque id tamquam quæstionem adferre licuit, postquam deflectere cœperint aliquantum de nimia, qua venerati sunt librum, superstitione ac statuerunt potius, eo non ipsum Iustinianum esse usum. In promptu hæc ita sunt, ut nulla prorsus egeant disputatione. Frustra itaque laborem susciperem, si huius; vel illius de nostra lite sententiæ fautores ea in astate quererem, qua constans adhuc fuit atque omnium firma opinio, codicem Florentinum a Triboniano Iustiniano esse traditum. Initium potius ducendum est a felicissimo litterarum elegantiorum fugientium statore, ANGELO POLITIANO. Me non fugit, illum supra dictam opinionem quoque ad probasse ^{a)}; attamen quum eius temporibus etiam existerent, qui ab illa abhorserent: primus simul, quantum ego quidem scio, erat, qui quæstionem in medium adferret, num codex Florentinus vel minimum parens ceterorum exemplorum pandectarum sit habendus; nec ne?

(5)

Fiebat

^{a)} obseruat id HENR. *bistor. pandect. cap. II. p. 4.*
BRENCMANNVS *libr. I.*

PRAEFATIO.

Fiebat istud in litteris, Florentia d. III. non februari. ann. CIOCCCCLXXXIII. ad MARQVARD. BREISATIVM datis, quæ exstant in libr. x. epist. 4. p. 380. ita, vt quæstionem, id quod facile quisquis potuisset ante diuinare, adfirmaret. Sed quemadmodum alioquin auctoritas POLITIANI tantum haud habuit ponderis, vt quodille statueret, communis probaretur consensu; ita nec discesserunt omnes hac in quæstione, quamvis illam primus adulisset, in eius sententiam. Abhorruerunt quidem non aperte ab illa; titubare tamen coeperunt GREG. HALOANDER et VIGLIUS ZVICHEMVS, qui vti communem habebant doctorem et potius familiarem, IO. BAPT. EGNATIVM b); sic ea ratione quoque conueniebant, vt alter ann. CIOICXXVIII. quum pandectarum egregium opus iuris publici faceret, *præfatione*; alter vero annis quinque post ann. CICICXXXIII. in *dedicatione institutionum THEOPHILI* hincque vterque, in dubium adhuc et incertum haud obscure reuocaret POLITIANI sententiam. Vix dum cecinerant duumiri hi classicum celeberrima in hac pugna, quum iam alii existerent, qui susciperent partes POLITIANI. Discessit primum in illius sententiam LAEL. TAVRELLVS in *præfatione*, *commentario eius ad Gallum et legem Velleiam, tom. IIII. thes. iuris ciuilis OTTONIANI*, p. 1603. *præmissa*

b) conferas GEORG. LAVR. Greg. Haloandri, §. 6. p. 12.
HAVSFRTZIVM in memoria

PRAEFATIO.

missa. Sequutus eum est paullo post, nimirum ann. CICIOXXXXIII. celeberrimus Tarraconensium factorum præsul ANT. AVGUSTINVS, e) atque maxima cum diligentia sententiam hanc propugnare omnesque, qui animis hominum contra illam insidere videbantur, scrupulos euellere studuit libr. I. obseruat. et emendat. cap. I. huic vero accessit, quum anno eiusdem seculi XXXXV. ederet præfata de libris iuris communis d), FRANC. BALDVINVS. Quum hic eadem sentiret atque locum simul teneret inter eos, quibuscum perpetua bella gereret FRANC. DVARENVS e): non potuit fieri; quin ab his abhorreret hic doctissimus iuris peritus, et codicem florentinum reliqurum pandectarum exemplorum fontem haud esse, ann. XXXXVII. in libr. II. disputat. anni-
uersar.

c) commentationem hanc TAVRELLIANAM, licet coniuncta sit alioquin cum AVGVSTINI emendationum et obseruationum libris, ante eos esse adhuc editam, ex commentario eiusdem ad Modestinum de excusationibus, tom. IIII. thesaur. iuris civilis, p. 1588. docet BRENCMANNVS libr. IIII. histor. pandectarum, cap. 5. p. 351.

d) tradit id 10. GOTTL. HEINECCIVS, præfation. tom. I. iurisprud. Romanæ et Atticea premissa.

e) copiosius id monstrant: CHRISTI THOMASIVS, præfat. Lancelloti institutionibus iuris canonici adiecta, §. 2. PETR. BAYLE, dictionnaire historique tom. I. p. 116. 10. GOTTL. HEINECCIVS præfatione, qua obseruationum Cuiacii editionem VHLIANAM ornauit, p. II. et doctissimus auctor commentationis de vita et scriptis Franc. Duarenii, inserto in die Hællischen Beyträge zur iuristischen gelehrtten Historie, p. 186.

PRAEFATIO.

uersar. cap. 9. statueret; non solum tamen
IAC. VINTIMILLIVS anno sequenti in dedicat.
pandectarum et LVD. MIRAEVS in dedicat. pan-
dectarum ad sensi sunt sententiae POLITIANI
atque AVGVSTINI; sed denuo eam etiam de-
fendit anno proximo LAEL. TAVRELLVS,
quum FRANCISCI filii nomine præfationem pan-
dectis suis præmitteret. Adhuc multos fau-
tores inuenerat POLITIANI sententia: immo
eiusmodi argumentis stabilita erat ab AV-
GVSTINO et corroborata, ut summum virum,
ANT. CONTIVM, quum alteras ageret partes,
nonnullam in dubitationem adducerent f);
quum autem ann. LVI. IAC. CVIACIVS secun-
dum obseruationum librum in lucem publicam
emitteret, initio statim eius, nimirum libr. II.
cap. I. p. 28. edit. VHLII, ab omnibus his dissen-
sit libereque confessus est, se fidem iis haud
habere, qui, cetera omnia exempla pandecta-
rum ex digestis Florentinis promanasse, dice-
rent. Sequebatur eum denuo ANT. CONTIVS,
in præfat. pandectarum. Qui postea huius
quæstionis mentionem fecerant, ALBERIC.
GENTILIS, de iuris interpretibus, cap. 2. et
MARQVARD. FREHERVS, præfat. ad ius græco
Romanum, dissidebant a CVIACIO et conspira-
bant potius cum AVGVSTINO; illius vero
sectam adhuc sequuti sunt IO. GOEDDAEV^S
in tit. de verbis. signif. ad rubr. num. 25. et 10.
MERCERIVS in conciliatore.

QVAM-

(f BRENCMANNVS, bish. pandectar. libr. III. cap. 2. p. 226.

PRAEFATIO.

QVAMVIS ab vtraque parte sexto et decimo post natum seruatorem seculo lis magno cum ardore esset agitata; deseruescere tamen ille paullo ccepit seculo sequenti, ita, ut pauci existerent, qui in explicanda hac quæstione essent occupati. Initio auctus est eorum numerus, qui, ex digestis Florentinis reliqua dimanasse, negarunt, per ELBERT. LEONINVM, quum sententiam suam, libr. VII. emendat. cap. 8. declararet; illorum vero aduersariis accessit, quamuis a CVIACIO formatum se esse confiteretur g), IAC. AVG. THVANVS, libr. I. de vita sua et postea OSWALD. HILLIGEVRS, libr. X. Donell. enucleat. cap. 2. Subscribebat quidem CVIACIANAE sententia NIC. HENELIVS, de veter. iureconf. cap. 2. deteiruit tamen de POLITIANEA minime ARTHVR. DVCKIVM de auctor. iuris ciuilis, libr. I. cap. 4. ERIC. MAVRITIVM de libris iurisconsultor. diff. II. num. 9. atque VLRIC. HVBERVM in digress. iustin. part. II. libr. I. cap. 1. donec ann. CICICLXXXVIII. CORNEL. VAN ECK principia iuris ciuilis ederet atque in iis, tit. de orig. iuris, num. 16. codicem Florentinum reliquorum exemplorum fontem non esse, statueret. Qui magnarum illarum rixarum reminiscitur, in quas incurrit ECKIVS cum HVBERO: b), ille dissidium amborum horum virorum hac in re haud mirabitur.

QVEM-

g) historiar. libr. LXXXVIII. b) copiosius hac de re dif-



PRAEFATIO.

QVEMADMODVM flamma eo acerbior fit,
vbi paullo sit oppressa et excitentur parui,
qui restiterunt, igniculi; ita nostra, qua nunc
viuimus, atque bellum inter POLITIANEOS et
CVIACIANOS, quum eius reliquiae non penitus
essent extinctæ, renouatum est tanta cum
vehementia, ut docti singularia hac in re ederent
scripta multoque maiore diligentia vtriusque
sententiæ ponderare argumenta. Anno quar-
to huius seculi primum edidit IAN. VINCI.
GRAVINA origines iuris ciuilis atque in illis iis
sele adgregauit, qui sapient memoratum ho-
norem Florentinis digestis denegant, *libr. I.*
orig. I. cap. 140. p. 170. GVIL. BESTIVS, *de*
ratione emendandi leges, cap. I. num. 3. id qui-
dem non ausus erat ann. CICIO CCVII. neque
tamen aduersariorum sententiam, quemad-
modum ann. CICIO CCXII. BERN. HENR. REI-
NOLDVS, in *orat. de legum inscriptionibus*, quam
adiecit WIELINGIVS, *part. II. iurisprud. resti-*
tut p. 192. amplexus, neutram in partem se
moueri passus est: ANTON. contra SCHVL-
*TINGIVS, in *iurisprudentia Anteiusinima**
p. 208. ann. CICIO CC XVII. et sequenti anno
*CHRIST. GOTTER. HOFMANNVS in *histor. iuris**
libr. II. cap. 2. §. 9. aperte negarunt, dimanasse
omnes

Serunt: CHRIST. THOMA-
SIVS, in denen scherz und
ernsthaften, vernunftigen und
einfältigen Gedancken über al-
lerhand lustige und nutzliche
Bücher und Fragen; oder

Monatsgesprächen des Jahrs
CICIO CXXXVIII. p. 803;
et die Hallischen Beyträge
zur iuristischen gelehrt
Historie, part. II. p. 359.

PRAEFATIO.

omnes digestorum codices ex' Florentino va-
riisque nouis argumentis huic opinioni pro-
babilitatem conciliare studuerunt. Eodem
anno sectam AVGVSTINI sequebatur BVRC.
GOTTH. STRVVIVS *bistor. iuris cap. v. §. 9.*
p. 373. simili vero ratione utraque sententia
ann. CICICCCXXII. strenuum nacta est pro-
pugnatorem. DONATVS ANTONIVS ASTEN-
SIS alia iterum ratione opinionem CVIACIANAM
fulcire studuit in libro *dell' uso ed auctorita della*
Ragion ciuale, edito hoc anno, *libr. II. cap. 3.*
et eodem tempore liti se immiscuit homo ad
pugnam aptissimus et de iurisprudentia im-
mortaliter meritus, HENR. BRENCMANNVS.
Qui quum elegantissimam *pandectarum histo-
riam* hoc anno ederet in lucem, inter alia gra-
uissima dicendi argumenta, de quibus in illa
disputauit, copiose explorare studuit *libr. III.*
*cap. 4. an omnia pandectarum exempla ex floren-
tinis manauerint?* ita, vt ii, qui hoc adfirmar-
ent, tutorem per eum nanciserentur ac
custodem grauissimum. Quum pro singulari,
qua pollebat, doctrina omnem operam in eo
posuit, vt, quæ adulterat argumenta AV-
GVSTINVS, iterum fulciret: noua eaque, in
quibus magnum inerat pondus, adiiceret at-
que ea, quibus aduersarii vtuntur, labefacta-
ret: totius litteratorum coetus in se conuer-
tit oculos. Deducebatur tribus annis post
per id statim in suam sententiam iurisconsul-
tum, nostrum academiae pristinum ornamen-
tum,



PRAEFATIO.

tum, IO. SALOM. BRVNQVELLIYM, *bistor. iuris*, part. II. cap. VI. §. 9. lqq. p. 231. eo maioribus tamen simul stimulis alios eruditos viros excitauit, ut ab acerrimis in CVIACIANAM sententiam intentis telis eam defenderent atque ab illas hæc propulslarent. Opposuit sese pri-
mum BRENCMANNO doctissimus Italus, GVIDO GRANDVS ⁱ⁾ atque scriptit *epistolam de pandectis ad Ios. Aueranium*, Piliis CICIOCCXXVI. Non quidem persistit in controuersia memorata; sed plura, quæ tradidit BRENCMANNYS, trutina quadam examinavit; inter illa tamen eius quoque sententiam de codice Florentino, reliquorum pandectarum exemplorum parente, refutauit. Quamuis ex eo, quod anno sequenti hæc epistola iterum edita sit, documentum capi posset plausus, quo illa est excepta; non tamen illam omnium nactam esse adprobationem, clare liquet. Impugnabat eam BERN. TANVCCIVS atque edebat *ad nobiles socias Cortonenses*, qui academi-
ci Etrusci dicuntur, *epistolam, in qua nonnulla refutantur ex epistola Guid. Grandi, Lucæ*, CIOCCXXVIII. Quum dein hanc ob rem GRANDVS in lucem emisisset vindicias pro sua *epistola de pandectis aduersus inanes querelas et oppugnationes Bern. Tanuccii*, hunc libel-
lum eodem anno sequuta est TANVCCII *difesa* secun-

ⁱ⁾ Abbas OTES, nella vita del padre D. Guido Grandi, Abate camaldolese, matematico dello studio pisano scritta da uno suo discipulo, Venet. CIOCCXXXIII, hic conferendus est.

PRAEFATIO.

seconda dell'uso antico delle pandette e del ritrovamento del famosa manoscritto di esse in Amalphi, Firenza cīc 1500 XXVIII. hisque accessit BARTHOL. LVCCABERTI, nouva dissamine della storia delle pandette Pisane edichi prima le fragmentasse, Faenza cīc 1500 XXX. k) Omnibus in his scriptis impugnabatur supra memorata epistola GRANDIANA; quemadmodum vero illa non ad solam quæstionem, vtrum manuerint ex codice Florentino digestorum exempla; nec ne? spectabat; ita nec de illa controuersia orta erat inter GRANDIVM, TANVCCIVM ac LVCCABERTVM; sed in eo conspirare potius videbantur cum aduersario TANVCCIVS ac LVCCABERTVS, quod Florentinum pandectarum codicem reliquorum par-

ren-

k) illustris jurisconsultus la adū. d' ORVILLIVM mi-
Barauus, IAC. PHIL. d' OR-
VILLE, consilium ceperat
omnia hæc opuscula coniunctim edendi, vt refert celeberrimus GOTTL. AVG.
TENICHEN, in denen aller-
neuesten juristischen Nachrich-
ten, part. IIII. p. 373. Per-
feciisse illud d' ORVILLE-
IVM, affirmare quidem vi-
detur illustris FUDERVS,
in bibliotheca iuris Struviana,
p. 36. celeberrimus vero AN-
TON. FRANC. GORIVS,
pref. symbol. litterar. decad.
secund. volum. quarti, que-
ritur, se omnia hæc opuscu-

la adū. d' ORVILLIVM mi-
fisse, vt in vnum colligeret
fasciculum; illum vero, dum
in viuis esset, promissis haud
stetisse. Ego hanc oīdoyv,
si exstat, nunquam vidi. Re-
centent vere omnes has com-
mentationes curate: CHR.
GOTTL. STIVIVS dissert. de
controuersia inter vir celeber-
rimum, Guid. Grandum et
Bern. Tanuccium, Lips.
cīc 1500 XXX. edita et auctor
notarum, quibus HEINECCIT
historie iuris crivilis editio Ar-
gentoratensis nuper est orna-
ta, libr. 1. cap. VI. p. 553.



PRAEFATIO.

rentem esse, haud existimarentur. Neque vero solum Itali improbarunt BRENCMANNI sententiam; sed illos etiam sequuti sunt nostrates. Iam anno trigesimo IO. PETR. DE LVDEWIG, in vita Iustiniani, cap. 8. p. 312. scrupulos indicauit, qui in iplius animo residebant contra argumenta BRENCMANNIANA; longe vero eum diligentia superauit CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS, vir omnium fere litterarum scientia abundans, qui dissertationem: *an omnia pandectarum exemplaria, quæ adhuc exstant, e Florentinis manauerint*, respondentem CAROL. SIGISM. ESAI, DE HOLZSCHVHER, Altorfii 1532. publicæ litteratissimorum virorum subiecit disquisitioni atque in ea BRENCMANNIANAM sententiam acriter propugnauit 1). Siluerat adhuc BRENCMANNVS; sed nunc expedire credidit, aduersariorum argumenta diluere hincque composuit epistolam ad V. C. Francis. Hesselium, qua examinantur præcipua capita epistolæ V. C. D. Guid. Grandi de pandectis; nec non dissertationis similis argumenti, auctore V. C. Christ. Gottlieb Schwarzo, Traiecti ad Rhenum, 1533. tantum tamen apud eruditos ponderis habuerunt GRANDIANA et SCHWARZIANA argumenta, ut vir summus, BRENCMANNVS, neminem fere inueniret, qui illam, quam ipse, sequutus esset sectam. Quum iterum ederet V. C. EVERARD.

OTTO

1) SCHWARZII commen-
tationem vna cum eiusdem
*scholis philologicis in prooe-
mium institutionum celeberrimi*
mus IO. LUDOV. VHLIVS
Lugduni Batavor. 1533.
xxxviii. iterum in lucem
publicam emisit.

PRAEFATIO.

OTTO incomparabilēm *thesaurum iuris civilis*, ille aperte declarauit, præfat. tom. 1. *thesaur. iuris*, p. 30. se GRANDII agere partes. Ei accesserunt an. 1510CCXXXVI. ABRAH. WIELING, in *præfat.* quām *lectionibus iuris civilis* præmisit et ann. XXXX. excell. 10. AVG. HELLFELD in *bist. iur. Rom.* libr. II. cap. 2. §. 2. Beatus CHRIST. HENR. ECKHARDVS, hermeneut. *iur. libr.* I. cap. I. p. 48, non quidem aperte sententia huic subscriptis; relinquit tamen quæstionem hanc in medio et amplius de ea censet deliberandum; nuperrime vero per consultiss. 10. AVG. BACHIVM, *libr.* IIII. *bistor. iurisprud. Romanae*, p. 697. eorum numerus iterum crevit, qui ex codice Florentino non omnia digestorum exempla profluxisse, existimant.

Ex quo quum quilibet perspicit, per aliquod tempus communem extitisse omniumque calculis comprobatam sententiam, e digestis Florentinis haud cetera originem suam ducere: eo maiore profecto digna est contemplatione tua, CANDIDE LECTOR, quam tibi iam trado, disquisitio, quum in illa doctissimus Italus aduerfariam tuetur opinionem: codicem Florentinum fuisse publicum: eum e Constantinopoli cum exarchis translatum Rauennam ibique descriptum: missum esse Bononiam aliasque in urbes, hincque omnia, quæ exstant, digestorum exempla, ex isto manasse, statuit: hoc multis argumentis comprobat et ea, quibus recentiores præsertim iurisconsulti, GRANDIVS, DONATVS ASTENSIS et WIELINGVS VII sunt quæue nemo adhuc refutauit, infirmat; occasionem vero simul adprehendit, multis corruptis legibus pristinam quasi sanitatem restituendi; vel eas illustrandi. Conscripterat doctissimam hanc commentationem auctor, LEOP. ANDR. GUADAGNI, iurisconsultus et in academia Pisana antecessor celeberrimus consilio et rogatu potius senatoris Florentini, FERRANTIS CAPONII atque huic etiam illam sub hac inscriptione: *Leop. Andr. Guadagni, ICti et in ill. academia Pisana antecessoris, de Florentino pandectarum exemplari, an sit imp. Justiniani archetypum et an ex eo ceteri, qui super sunt pandectarum libri manauerint differatio, ad illustrissimum et clarissimum virum, Ferrantem Capponium, senatorem grauissimum, comitem et equitem splendidissimum, consecravit.* Non ipse illam in lucem emisit; sed debeatius editionem potius cele-



PRAEFATIO.

celeberrimo ANT. FRANC. GORIO, viro, cuius tanta in
rem litterariam exstant merita, ut ea suspiciant et admirarentur
omnes, qui aestimare possunt litteras, eorumque memoria
omnia honoris insignia laudisue monumenta longe antece-
dat. Ille huic disquisitioni in *symbolarum litterariorum*, quæ
Romæ prodeunt quæc sunt deliciae eruditorum hominum,
decadis secundæ volumine quarto principem adsignavit locum ac
per id eam primus fecit iuris publici. Nouo nunc habitu pro-
dit in lucem. Quum rarius Italici libri in tabernis nostris
librariis reperiuntur atque accedit, quod libellus hic con-
iectus sit in eiusmodi commentationum doctarum fasciculum,
qui non tam in iurisconsultorum; quam litterarum potius
elegantiorum aque antiquitatum studiosorum manibus esse
solet: laborem me suscepturum esse, credidi, haud iniucun-
dum iis, qui legitimis disciplinis delectantur, si memora-
tum libellum separatim edere. Qua quidem spe fretus,
illum trado tibi, **BENEVOLE LECTOR.** Summa cum indu-
stria curavi describendum: immo ut utraque editio, Romana et
nostra maximam inter se habeat similitudinem, prouidi, ne
vlla pagina in vna plus minusve contineat, quam in alte-
ra; huic vero simul præter indices spicilegium obserua-
tionum iuris ciuilis subiunxi. Rem ipsam, de qua dispu-
tat auctor, in iis minime tetigi; sed, si quid amplius mo-
nendum censui de iis legibus, quas simul illustravit, id
adieci. In plerisque ea, quæ tradidit v. c. GVADAGNI,
pluribus argumentis confirmavi; in quibusdam tamen ab
auctore dissensi et in aliam discessi sententiam, si quidem
certe persuasus sum, doctissimum virum benigne id esse
interpretaturum.

Valeas, **ERUDITE LECTOR,** existimesque velim, si hec-
ce studia mea tibi non prorsus ingrata esse intellexero,
me nullam aliam eorum mercedem esse desideratu-
rum. Lenx, prid. iduum april.

cis id cc lv.



LEOP. ANDR. GVADAGNI
DE
FLORENTINO
CODICE
OMNIVM QVAE EXSTANT
PANDECTARVM
EXEMPLORVM PARENTE
DISQVISITIO
AD
ILLVSTRISSIMVM ET CLARISSIMVM
VIRVM
FERRANTEM CAPPONIVM
SENATOREM GRAVISSIMVM
COMITEM ET EQVITEM SPLENDIDISSIMVM



FLOR. ANDR. GAVDAGNI

FLOR. ANDR. GAVDAGNI
TITLUS
EODIC
OMINIA M. GAVDE XATI
LUDICTRIA
EXEMPLARIA PARENTE
DISSEMINATIO
ILLUSTRASSIMA ET CLOVASSIMA
VIRUM
HERALDIN CAPTIONUM

SCHMIDTEN ET AVISSIUM
COMITAT. ET BARONAT. ET CLOVASSIMA



INDEX CAPITVM.

CAPVT I. **S**cribendi occasio. Dissertationis argumentum eiusque utilitas.

II. Imp. Iustiniani constitutiones adferuntur, quibus forma describendi pandectas definitur.

III. Προθεωπία ad superius adlata iustinianearum constitutionum loca interpretanda. Sigla a notis diuersa: singularii a notariis, a quibus distinguuntur calligraphi; seu librarii, tabelliones, titularii. Quid transcribere sit apud Scævolam. Siglorum notarumque usus. Abbreviations a siglis longe distant.

III. Earundem constitutionum loca superius adlata explicantur: quid siglorum appellatione ibidem contineatur. Testamentum parentis inter liberos ὀλογράμματον ex nov. 107. cap. 1. Pœna, si quis aduersus eas constitutiones faxit.

V. Librarios, qui florentinum exemplar conscripserunt, iustinianeis constitutionibus non ubique penitus paruisse ostenditur. Vnde conjectura est, illud non esse Iustiniani archetypum. Eiusdem exemplaris etas.

A 2

VI. Con-

- VI. Coniecturæ aliae, quibus comprobatur, florenti-
num exemplar non esse prototypum Iustiniani.
Exemplaris eiusdem menda, et lacunæ.
- VII. An pandectarum exempla, que superesse noscun-
tur, omnia a florentino exemplari originem duxer-
int. Affirmantium opinio, græcis libris excep-
tis, præsertur. De perturbato in posteris exem-
plaris eiusdem chartis conglutinandis ordine.
Eius erroris schema. Haud rectum esse earum
chartarum ordinem, ostenditur.
- VIII. Perturbatus idem ordo in ceteros pandectarum
libros inuestus. Aliena manus in vulgaris deprehen-
ditur in l. non potest D. de reg. iur. Variæ lectiones
in l. ad ea, D. eod. Duorum titulorum trajectio in
lib. xxxvii. pand. e florentino Ms. in ceteros
libros deriuata.
- VIII. Obiectio prima aduersus Taurelli et Augusti-
ni sententiam diluitur. Coniecturæ duæ refelluntur,
quarum altera a cl. Donato Astenfi, altera a
cl. Grandio adferuntur, ad eludendam vim ar-
gumenti ducti ex male compactis in florentino
exemplari membranis.
- X. Antonii Contii conjectura quaedam improbatu-
r. Digestum vetus et nouum Bononiam aldatum, an-
tequam pandectarum insigne illud exemplar Pisis
extaret. Ostenditur etiam, partem aliquam, que
antecedit l. quærebatur si D. ad leg. Falcid. e
florentino exemplari fuisse descriptam.
- XI. Impugnatur Abrahami Wielingii ratio, qua
Taurelliani argumenti vim cludere conatur.
- XII. Op-

XII. *Opposito altera remouetur, ducta ad digestis in vetus, infortiatum et nouum distinctis; antequam pandectarae Pisis extarent. Vulgares pandectarum libros ex iis, qui nunc florentini dicuntur, Rauennæ fuisse descriptos, verissimile est. Quo tempore iustinianum iuris σύνταγμα in Italiā adiectum. Exponitur caput x i. pragmatice sanctionis Iustiniani. Pandectarum exemplar, de quo agimus, Rauennam fortasse, dum exarchi ibidem praeerant, adlatum.*

XIII. *Iustinianum ius etiam post Longobardorum regem Aistulphum Rauennæ floruisse coniicitur. Pandectarum exempla Rauennæ descripta, et in diuersas partes diuisa, deinde Bononiam translata. Expenduntur quedam Accursii et Odofredi loca. Christ. Godofr. Hofmanni, aliorumque argumenta nonnulla refutantur.*

XIV. *Opposito ex variis lectionibus florentini exemplaris aliorumque librorum desumpta. Varie lectiones imperitiae librariorum tribuenda: meliores interdum in florentinis; quam in certis pandectarum libris. Eius rei exempla quedam.*

XV. *Lectiones aliae indicantur, in quibus et si dictum constet a florentino exemplari, haud tamen coniici ex iis potest, vulgares aliosque pandectarum libros ex illo non profluxisse.*

XVI. *Diuersa, que in inscriptionibus legum habentur, iurisconsultorum nomina in variis pandectarum exemplis, minime probant, hæc ex flo-*

rentino codice originem non habuisse. Plures huiusce diuersitatis cauſſæ adferuntur. Obiectio diluitur ex eo ducta, quod in vulgatis distinctæ quædam leges habentur, quæ in florentino unicam conficiunt, in plures paragraphs tributam.

XVII. Meliores, que in vulgatis pandectis interdum habentur, lectiones minime refragantur sententiae, qua contenditur, omnia pandectarum, quæ supersunt, exempla ex etrusco exemplari esse deducta.

XVIII Supplementa, quæ in vulgatis digestis reperiuntur, interdum superuacanea esse, ostenditur.

XVIII. Oppositioni respondetur ex eo ductæ, quod florentinum exemplar græca verba sine latina interpretatione exhibeat; vulgares autem pandectæ græca et latina habeant; vel sine græcis latina. De interpretationis illius auctoribus non satis constat. Doctissimorum virorum de eadem interpretatione iudicia. Nonnulli, qui in ea deprehenduntur, errores recensentur.

XX. Modestinum IC. non esse, ut putat Astensis, auctorem eius interpretationis, qua libri excusationum in latinum vertuntur. Errores quidam eius interpretationis indicantur.

XXI. Cl. Donati Astensis coniecturæ quædam expenduntur.

CAPVT



CAPVT I.

*Scribendi occasio. Dissertationis argumentum,
eiusque utilitas.*



Qvod mihi non ita pridem Florentiae, quum domum tuam aduenisse, obseruantiam in te meam significaturus, humanitate summa iniunxisti, ILLVSTRISSIME ET CLARISSIME SENATOR, ut quoniam in eum sermonem forte fortuna incidimus, quo pisani olim, nunc florentini pandectarum exemplaris præstantia et auctoritas commendabatur, argumenta non voce tantum; sed et scriptis expperem, quibus probari solet, non esse illud quidem imp. Iustiniani archetypum; ex eo tamen, quotquot habemus, pandectarum libros profluxisse: id adcurate quantum coniecturis adsequi dicebit, hac veluti diatribe quadam prestare contendam. Profecto munus hoc obeundum libenter suscepit, tum quia plurimum valuisse apud me tuam

A 4

sem-

semper auctoritatem sentiebam ipsumque, ad gentis tuæ gloriam pertinere, quodammodo videbatur, quae inter maiores tuos habuit præstantissimum in primis virum, omniq[ue] laude cumulatissimum, GINVM CAPPONIVM, cui, si causam spectemus, præclarum illum auro gemmisque contra apud eos, qui recte iudicant, æstimandum thesaurum Florentia, hoc est, patria nostra debet; tum quia non de leuiore quadam nulliusque momenti re agendum erat; verum de ea, quæ plus habet in recessu; quam in fronte promittat: quæ vel summi nominis interpretes, iamdiu exercitos, habuit: quæ ad pleraque romanorum prudenter loca librariorum mendis; vel præcipiti criticorum iudicio deprauata integratati suæ, pristinoque nitori restituenda plurimum prodet: qua demum canon ille constabilitur, florentinam pandectarum lectionem, nisi luculentissima ex aduerso vrgeat ratio, esse ceteris præferendam. Iam vero, ut alacriore animo tractationem hanc instituerem, illud vel maxime impellebat, quod summa Imp. Cæs. FRANCISCI I. Pii, Felicis, Augusti, beneficentia mihi in celeberrima pisana academia solidos pandectas ordine interpretandi multum diuque intermissum munus delatum fuerat, neque adeo ab instituto officioque meo abhorrire: imo vero ipsi consentaneum omnino esse videbatur de etrusci pandectarum exemplaris præstantia sicut auctorita-

te

te differere. Itaque nullo modo pigebit, eam
primum comprobare sententiam, qua defini-
tur, celeberrimum illud exemplar, etiam si ve-
tustissimum; haud tamen imp. Iustiniani archetypum;
vel Tribonianii autographum esse,
frustra contrarium existimantibus præter iuris
interpretes, qui seculo XIX. et XV. florue-
runt, etiam POLITIANO, HOTOMANNO,
PROEO, PEREZIO, aliisque; deinde vero
ostendere iuuabit, libros pandectarum omnes,
quot nouimus, siue manu exaratos; siue typis
editos, originem ex florentino exemplari duxisse.
Egregie virtutumque præstiterunt duo illi clarissimi
viri, optimeque de tam insigni MS. ac de uni-
uersa adeo iurisprudentia meriti, ANT. AV-
GVSTINV S lib. I. emendat. cap. I. et alibi, et
HENR. BRENCMANNVS hist. pand. lib. III.
cap. I. et II. ut forte quis existimare possit, me
post Homeros Iliadem scribere, post Roscios co-
mœdiam agere; sed et spicilegium aliquod re-
lictum videtur, et respondendum est doctissi-
mis aliquot viris, quorum aliquis non multo
ante; alii vero etiam post ipsum BRENCMAN-
NV M scripserunt, pluribusque argumentis, pan-
decten florentinum ceterorum, quos etiam
nunc habemus, prototypum esse, negarunt.

CAPVT H.

Imp. Iustiniani constitutiones adferuntur, quibus forma describendi pandectas definitur.

Ac mihi quidem principio ipsa Iustiniani verba, quibus potissimum innititur, quod priore loco propositum est, adferenda videntur: ita enim tanquam in re et in loco præsenti, eius, quam deinde subiiciam, interpretationis ratio dilucidius constare, et quomodo florentina scriptio ab ipsis Iustiniani constitutionibus interdum aberret, commodius deprehendi poterit, et confirmari. Hæc itaque imperator habet in const. Deo auctore, §. penult. de conceptione digestor. quæ est lex prima C. de vet. iure encl. Ne autem per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio, iubemus, non per SiNplorun*g* (ut Florentiæ habetur: TAVRELLVS in margine: Singulorum. In codice Iustinianeo Moguntiæ edito an. CICCCCCLXXV et in alio edito Basileæ a. CICCCCCLXXXVII. legitur, FRANC. CAROLO CONRADI teste, Signorum: recte alibi Siglorum) captio-nes, et compendiosa ænigmata, quæ multas per se, et per suum vitium antinomias induxerunt, eiusdem codicis textum conscribi; etiam si numerus librorum significatur, aut aliud quicquam; nec etenim per specialia sigla numerorum manifestari; sed per literarum consequentiam explanari concedimus. Præterea in const. Omnem, §. illud autem 8. ad antecessores, quæ procœnum digestorum inscribi

scribi solet, sic ait Iustinianus: illud autem, quod iam tum ab initio hoc opus mandantes in nostra oratione, et opus completum in alia nostri numinis constitutione scripsimus, et nunc utiliter ponimus: ut nemo audeat eorum, qui libros conscribunt, sigla in his ponere, et per compendium ipsi legum interpretationi, vel compositioni maximum afferre discrimen: scituris omnibus librariis, qui hoc in posterum commiserint, quod post criminalem pœnam estimationem libri in duplum domino eius, si nescienti dederint, inferre compellentur, quem et ipse, qui talem librum comparauerit, nihil (sic Florentiæ legitur, omessa præpositione pro: quod exemplo LIVI aliorumque probat LAVR. THEOD. GRONOVIVS emend. pandectar. cap. 18. HALOANDER edidit pro nihil) cum habebit, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed pro non proscripto eum habere disponente. Sic habetur Florentiæ, vt ediderunt TAVRELLVS, RVSSARDVS, CHARONDAS aliique; sed TAVRELLVS superfluum indicauit τὸ pro in proscripto: HALOANDER edidit: sed pro non scripto cum haberet disponente. GRONOVIVS laud. cap. legendum recte coniicit, pro non prorsus scripto, quæ coniectura et CONRADI ibidem probatur. Eadem constituta sunt a Iustiniano in epistola tanta circa nos §. eamdem 22. de confirmatione digestorum ad senatum et omnes populos, quæ est lex 2. C. de vet. iure encl. his verbis: eamdem autem pœnam falsitatis constituimus et aduersus eos, qui in posterum

sterum leges nostras per siglorum obscuritates aucti
fuerint conscribere; omnia enim, id est, et nomina
prudentium, et titulos et librorum numeros per
consequencias litterarum volumus, non per sigla
manifestari: ita ut, qui talem librum sibi para-
uerit, in quo sigla posita sunt, in qualem cunque
locum libri; vel voluminis, sciat inutilis se esse
codicis dominum, neque enim licentiam aperimus
ex tali codice in iudicium aliquid recitare, qui
in quacumque sua parte siglorum habet malitias.
Ipse autem librarius, qui eas inscribere ausus fue-
rit, non solum criminali pena, secundum quod
dictum est, plectetur; sed etiam libri estimatio-
nen in duplum domino reddat, si et ipse dominus
ignorans talem librum vel comparauerit, vel con-
fici curauerit: quod et antea a nobis dispositum
est, et in latina constitutione, et in græca, quam
ad legum professores dimisimus. Vbi sunt τὰ
siglorum et sigla, codices moguntinus et basi-
leensis habent, signorum et signa: præterea vter-
que codex græcae constitutionis mentionem
non habet, nam in moguntino legitur: *disposi-*
tum est constitutione, quam ad legum etc. in
basiensi dispositum est: *institutione, quam ad*
etc. Græca illa constitutio ætatem non tulit;
verum alia extat ad magnum senatum græce
scripta, quæ incipit Δέδωκεν, de *confirma-*
tione digestorum, vbi §. 22. eadem totidem
fere verbis, ut in d. l. 2. imperator idem
constituit et, quod maxime animaduertendum,
omnem in iudiciis auctoritatem et fidem au-
fert

fertiis pandectarum codicibus, qui per signa conscripti fuerint, etiamsi vnum tantummodo signum in quacumque parte contineant, nān εἰ πρός ἀπαξ
εἴη τέτο γενόμενον, etiam si semel sit hoc admissum. De-
nique annis post eas constitutiones trecentis ac
tribus fere et quinquaginta hæc scripta sunt in
Basilicis lib. II. tit. VI. §. 20. Κελένει δὲ μη
διὰ στυλῶν τὸ ὑφος τε νόμος γεάΦεσθαι, δι-
ῶν αὐτονομίαι πολλοὶ εἰσάγονται: iubet vero,
ne per sigla contextus legis scribatur, per quæ le-
gum contrarietates multæ introducuntur.

CAPVT III.

Πρωθεωρία ad superius allata iustinianearum
constitutionum loca interpretanda. Sigla a no-
tis diuersa: singularii a notariis, a quibus
distinguuntur calligraphi; seu librarii, tabelli-
ones, tabularii. Quid transcribere sit apud
Scævolam. Siglorum, notarumque usus.
Abbreviationes a siglis longe distant.

QVALE vero illud sit, quod a Iustiniano tot
constitutionibus vetitum est, age iam
videamus. *Sigla;* vel *singla* per syncopen sic
appellata quasi *singula*, litteræ sunt singulares,
quæ integrum dictionem designant. Ita *sen-
tus* *populusque romanus*, ut nemo non nouit,
hisce siglis designatur S.P.Q.R. Formulam hanc:
Doli mali fraudive causa hæc sigla indicant
D.M.F.C. ut *VALERIVS PROBV*'s exponit. Alia,
ut videtur, significatione litteras singularias *AVLV*

GEL-

GELLIVS dixit *not.* *attic. lib. xvii. cap. 9.* nempe, vbi ex condicto commutatur literarum situs, ut conuentionis ignarus verba ex iis litteris confidere nulla possit, de quo inferius dicendum.

A figlis longe distant notæ, in specie sic nuncupatae, quas recte quis definierit signa quædam; seu characteres præter litteras communis consuetudine receptas, qui plurium litterarum; vel dictionum vim habent: exempli gratia, *Senatus populusque romanus* hac nota designabatur **S**, cuiusmodi etiam sunt, quæ **TIRONI** et **SENECAE** vulgo tribuuntur et in fine Gruteriani thesauri inscriptionum habentur. A græcis dicta sunt **σημεῖα**. CICERO ad Atticum lib. XIII. ep. 32. Et quod ad te de decem legatis scripti, parum intellexi, credo, quia dia σημεῖον scripseram: ita etiam, ut ceteros omittam, dicuntur a PLUTARCHO et a diuo BASILIO in locis inferius laudandis. Extabat olim DIOGENIS Cyziceni liber περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημεῖων, quemadmodum et ARISTONICI grammatici liber de notis besodeis. LAERTIVS in Platone σημεῖα quædam affert, quæ PLATONI S. libris apponebantur. Indicia in l. vlt. C. Famil. ercisc. doctissimus CVIACIVS consult. i. pro notis accipit, quemadmodum et in l. si cogitatione 21. C. eod. iis verbis qualicumque indicio (male apud HALOANDRVM legitur iudicio) etiam notæ contineri videntur. Ad eiusmodi signa, quæ litterarum formam non habent, referri possunt notæ critice

ticæ, quæ versibus apponebantur, ut asteriscus, obelus, lemniscus, ceraunium, aliæque plures, de quibus ISIDORVS orig. lib. I. cap. 20. Ipsæ numerorum notæ olim quidem apud romanos proprie non erant litteræ; sed eas posteriore ætate ad litterarum formam paulatim conuertit librariorum inscritia, ut recte coniicit P. MANVITIUS. Sigla et notas recte distinxit MANILIVS astron. lib. IIII. v. 197.

Hic et scriptor erit velox, cui LITERA verbum est,

Quique NOTIS linguam superet, cursim que loquentis

Excipiat longas noua per COMPENDIA voces.

Notas quoque non esse litteras, etiam ex PAULLO IC. constat, qui in l. Sed cum patrono 6. §. vlt. D. de honor. poss. hæc habet: Notis scriptæ tabule non continentur edicto, quia notas litteras non esse, Pedius libro vicesimo quinto ad edictum scribit. Idem PAULLVS in l. Lucius 40. in princ. D. de testim. mil. Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictauit, et, antequam litteris perscriberetur, vita defunctus est: quero, an hæc dictatio valere possit? respondi, militibus quoquo modo velint, et quomodo possunt testamentum facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecundum esse legitimis probationibus ostendatur. Ex quibus omnibus valde probatur LIPSIILEMENDATIO, qui ubi apud SVETONIVM in Augusto c. 64. legi-

legitur: nepotes et litteras, et natare; aliaque rudi-
dimenta per se plerumque docuit, ac nihil aequo
laborauit, quamvt imitarentur chirographum suum:
recte legit litteras et notare. Idem SVETONIUS
in Galba cap. 5. vbi de testamento Liuiæ Augustæ
loquitur, duo hæc distinguit, notare, et per-
scribere summam. Ait enim: HS. namque quin-
genties quum præcipuum inter legatarios habuisset,
quia vero notata, non prescripta erat summa, her-
de Tiberio legatum ad quinquaginta reuocante,
ne hæc quidem accepit.

Interdum tamen litteræ, contra commu-
nem usum acceptæ, notarum vicem gerunt,
quum una littera pro alia ponitur. De Iulio
Cæsare hæc DIO tradit, lib. XL. Εἰώθει δὲ καὶ
ἄλλως ὅποτε τὸ διάπορρήτων τινὶ ἐπέσελλε, τὸ
τέταρτον δὲ τοιχεῖον ἀντὶ τῆς καθήκοντος ἀντε-
γένεσιν, ὅπως σὺν ἀνάγνωσα τοῖς πολλοῖς ἡ τὰ
γέραφόμενα. Confuerat vero et alioquin, si quid
secreti per litteras alicui significaret, quartum sem-
per elementum pro eo quod scribi debebat, scribere.
ne obvia litterarum lectio cuius esset. Id ipsum testa-
tur SVETONIUS in Iul. Cæs. cap. 56. Extant
epistolæ et ad Ciceronem, item ad familiares domesti-
cis de rebus: in quibus si qua occultius perferenda
erant, per notas scripsit, id est sic structo litterarum
ordine, ut nullum verbum effici posset: que si quis in-
uestigare et persequi vellent, quartum elementorum lit-
teram, id est apud d, et perinde reliquas commutet.
Huiusmodi litteras GELLIVS noct. attic. lib. XVII.

cap.

c. 9. singularias dixit: Libri sunt epistolarum C. Cesarii ad C. Oppium et Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant. In his epistolis quibusdam in locis inueniuntur litterae singulariae sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas incondite. Nam verba ex his litteris confici nulla possunt. Erat autem conuentum inter eos clandestinum de commutando situ litterarum, ut in scripto quidem alia aliæ locum, et nomen teneret; sed in legendo locus cuique suus, et potestas restituatur. Quenam vero littera pro qua subderetur, ante iis (sicut dixi) complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Et adeo Probi grammatici commentarius satis curiose factus de occulta litterarum significazione epistolarum C. Cesarii scriptarum. Augustus quoque, ne quædam a se scripta intelligi a quovis possent, litteras commutabat: sic enim **DIO** lib. **LI.**
 Ἐπειδὴ δὲ καὶ ἐκεῖνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς φίλοις, ὅποτε τί δεοιτο δι απορήτων σφίσι δηλῶσαι, τὸ δεύθερον αἱ σοιχεῖον τῷ τῷ ρύματι ᾠστήνοντος ἀντ' ἐνενέαντιγράφων. Quum vero et ad eos, et ad alios amicos epistolas mitteret, quando quid oportebat secreto ipsis significare, litteram, quæ proxime sequebatur eam, quæ verbo conuenerit semper pro illa scribebat. **S V E T O N I V S** in **Augusto** cap. **LXXXVIII.** Quoties autem, inquit, per notam scribit b pro a: c pro b, ac deinceps eadem ratione sequentes litteras ponit: pro x autem duplex aa. Ita apud græcos κρυπτογραφία, siue arcanus scribendi modus, de quo cl. **MONT-**

B**F A V -**

FAVCON in paleogr. grāca lib. 1. cap. 5. in vsu erat per commutationem litterarum; vel per nouam et inusitatam characterum formam.

Quamquam vero sigla proprie a notis differunt ac notæ plerumque non essent litteræ; sigla tamen latiore significatione notæ dicebantur: **VALERIVS MAXIMVS** lib. II. cap. 2. n. 7. veteribus, inquit, **senatusconsultis** T litteræ subscribi solebat, eaque **NOTA** significabatur, illa tribunos quoque censuisse. **VOLVSIVS MAECIANVS IC.** et imp. Marci præceptor, notarum nomine etiam sigla comprehendit. Scribit enim in libello de asse: pars dimidia SEMIS vocatur: nota eius S. sequens diuisio fit in tres tertias partes; pars tercia triens vocatur; nota eius --. Ad ampliorrem hanc notarum significationem pertinent **ISIDORI** verba orig lib. I. cap. 22. Quædam autem litteræ in libris iuris verborum suorum notæ sunt, quo scriptio celeris breviorque fiat: scribebatur enim verbi gratia per b et per f bonum factum; per S et per C senatusconsultum etc. cuius generis plurimæ consimiles notæ in libris antiquis inueniuntur. Quamobrem et in glossis nomicis habetur **Νοτάριος**, ὁ τῶν γεγραμμάτων, νότα γαρ τὰ γεγραμμata.

Ceterum qui siglis scribebant, singularii; aut singulares dicebantur. In notitia, quæ habetur post l. 1. C. de off. pref. præt. Africæ, nominatur schola singularium; qui vero notis scribebant, notarii dicti sunt, multo quidem ab

iis

iis diuersi, quos haec ætate notarios adpellamus.
 ISIDORVS orig. lib. 1. cap. 21. *notas*, inquit,
 qui didicerunt, proprie iam notarii appellantur.
 Notarius priuati hominis seruus, qui notis
 scribebat, intelligendus est in l. *Lucius* 20. in
 prine. *D.* de *testam.* *mil.* et in l. *penult.* *C.* qui po-
 tior in pign. hab. Ibi: *manu contrahentium*; *vel*
notarii; *vel alterius*, ad quem locum doctiss.
 CVIACIVS animaduertit, notarios esse seruos,
 qui ad scribendum operas locant. A græcis
 notarii σημειογράφοι, nempe notarum scribae
 dicuntur. Glosse a LABBAEO collectæ: Σημειο-
 γράφος notarius. Item ob scribendi celebrita-
 tem ταχυγράφοι et ὁζυγράφοι nuncupati; quæ
 ramen adpellatio generalis est et continet etiam
 eos, qui iam ante 1111. christi seculum, ut
 obseruat cl. MONTFAVCON in paleograph. græ-
 ca, lib. 1. cap. 5. morem scribendi charactere
 vnciali et quadro mutarunt et litterarum colli-
 gationes et abbreviationes inuenerunt, quibus
 in litteris imperatoris aliisque epistolis ute-
 bantur. Erant vero a notariis, seruis alieuius
 priuati, longe diuersi notarii principis, ut eos
 adpellat AMMIANVS MARCELLINVS lib. XXX.
 cap. 2. quia græcis dicuntur βασιλικοὶ υπο-
 γράφοις, ut vocantur a ZOSIMO lib. III. cap. 4.
 lib. V. cap. 40. a SOCRATE lib. VII. cap. 23. et
 apud SVIDAM V. Αὐξέντιος. Hi enim in con-
 fistorio principis acta et secreta excipiebant,
 ac notabant et de ipsis est tit. cod.
 Theod. de primicerio et notariis, et cod.
 iust.

iust. de primicerio et secundicerio, et notariis, de quibus plura dabit IAC. GOTHOFREDVS ad eum tit. cod. theod. Notarius autem secretorum, quomodo a VOPISCO in Aureliano appellatur Mnestheus, quem pro notario secretorum habuerat, Aurelianus, libertum, ut quidam dicunt, suum, a ZOSIMO lib. i. cap. 62. dicitur τῶν ἔγραφεν Φερομένων αποκείτεων μηνύτους, ut ad eum VOPISCI locum obseruat SALMASIVS et IAC. GOTHOFREDVS ad lib. i. cod. th. de primic. et notariis. Iudicium faciebat hic notarius et foras efferebat imperialia responsa. Perperam non nulli, quos merito reprehendit IAC. GOTHOFREDVS ad lib. 31. lit. h, o. th. de episc. ecclesiar. et clericis, notarios apparitorum comminiscuntur in ea lege: ibi et notariis apparitorum, legenduni potius notariis, quae erant libelli, quibus rei criminum magistratibus significabantur et elogia dicuntur in l. diuus 6. in princ. D. de cust. et exhib. reor. in l. 9. cod. th. de executoriis et exactionibus in l. ult. cod. theod. de nauiculariis. Glossæ ISIDORI elogium textum malorum dictorum, quod notoriā dicunt.

A notariis, atque tachygraphis distinguebantur calligraphi, ob scribendi elegantiam sic appellati. IVSTINIANVS, nov. 42. cap. 1. in fine agens de scriptis SEVERI, qui anno DXXII. sedem antiochenæ ecclesiae, quam theopolitanam vocat ibi imperator, quum Antiochia, ab ipso restaurata, Theophilis diceretur, ut a

STE-

STEPHANO traditur) per viam occuparat, mentionem habet non solum τῶν εἰς καλλος, sed etiam τῶν εἰς τάχος γερόντων. Sic enim ait: γέροντος τε παρὰ μηδενὸς τὸ λοιπὸν μηδὲ τῶν εἰς καλλος, μηδὲ τῶν εἰς τάχος γερόντων, μηδὲ ἄλλων πάγτων τινός, ἐιδότος αὐτὸν οὐκέτι χειρὸς ἔσαι τοῖς ταῦταίνοις γερόντων η ποιή; quorum sententia hæc est: quæ a Seuero tum dicta; tum scripta sunt, a nemine in posterum scribantur, siue calligraphus; siue tachygraphus sit; siue alius quilibet omnium hominum. Sciat vero quisque, eos, qui illius opera scripferint, amputatione manus esse puniendos. A nono autem seculo, eodem cl. MONTFAVCONIO teste, a calligraphis quibusque colligatio characterum et abbreviations usurpabantur. Quos vero MODESTINVS librarios adpellauerat in l. spadonem 15. §. neque librarios, D. de excusat. καλλιγράφος interpretatur CIVACIVS ad l. Si duas 6. §. grammatici D. eod. arque eo sensu dicti librarii videntur a CAIO, in l. forte 28. D. de rei vind. et in l. duorum 49. D. de operis libertorum et ab VLPIANO in l. Ut iurisurandi 7. §. dabitur 5. D. eod. Sane VLPIANVS idem in l. i. §. ludi 6. D. de extraord. cognit. librarios a notariis distinguit: iam et librariis et notariis et calculatoribus; siue tabulariis. Quod notis scriptum erat a notariis, id integris litteris præscribebant librarii; siue καλλιγράφοι: quo pertinere putat BRENCMANVS hist. pand. lib. II. cap. 5. pag. 140. verba illa

SCAEVOLAE in l. si librarius 92. D. de regi iur.
 Si librarius in transcribendis stipulationis verbis
 errasset: nibil nocere, quo minus et reus, et
 fideiussor teneatur. Hunc tamen locum haud
 male quis existimauerit, non de καληγέαφω,
 qui a primo exceptore; seu παχυγέαφω scrip-
 ta, litteris exscribebat; sed cum doctissimo
 CVIACIO et IAC. GOTHOFREDO accipendum
 esse de tabellione; seu scriptore contractus, qui
 instrumentum formabat, ut loquitur VLPIANVS
 in l. moris 9. §. solet 5. D. de panis et quæ
 apud se dicta, pacta conuenta erant, excipie-
 bat redigebatque in scripturam. Συμβολαιόγεα-
 φως idem dicebantur; συμβολαιόγεαφως ΗΕ-
 SYCHIO ὁ τὰ συμβόλαια γεάφων: apud antiquos
 atticos συμβόλαιον erat ipsa conuentio et con-
 tractus; apud recentiores græcos erat instru-
 mentum, ut docet SALMASIUS de modo usur-
 cap. 10. pag. 424. 426. Itaque in transcriben-
 dis verbis stipulationis errat librarius, qui pro-
 missionem interrogationi præmittit; vel fide-
 iussoriā obligationem primo loco ponit; vel
 vñica formula includit reum principalem et
 fideiussorem; vel denique, ut speciem huiuscē-
 legis græci effingunt, reum principalem fide-
 iussorem vocat, et ex aduerso. Transcribere
 quidem est ab exemplari describere. Glossæ
 CYRILLI: transcribo, μεταγέαφω. Quod
 VLPIANVS ait in l. i. §. u. D. de edendo:
 edere est etiam copiam describendi facere, græ-
 cus interpres in Synopsi Basilic. pag. 86. ver-
 tir

tit προενδέναι δὲ εἰς καὶ τὸ παραστῆν αὐτῷ
ἐνχερεῖαν μεταγενέψαθαι. Verum quandoque
transcribere est etiam mutare: SENECA: philo-
sophiate in virum transcriptis, id est, ut inter-
pretatur BVDAEVIS in annot. ad l. si vir uxori,
de præser. verb. μετεταξέσεις εἰς ἄνδρα, ut non
male in MARTINI commentario in tit. de reg.
iur. et recensione CVIACII ad l. si librarius, ha-
beatur: transribit, qui rectum ordinem non
custodit. Quemadmodum vero SCAEVOLA mu-
tationem a librario factam respicit in scriben-
dis iis, quæ dicta et conuenta sunt; ita quoque
mutatas inter recitandum a publico scriba littera-
ras innuit VLPIANVS rhetor in Demosthenis
orationem περὶ τῆς στρατείας. Quum enim a De-
mosthene Ἀschines dictus esset ὅλεθρος γεμ-
ματεύς: hæc ibidem Vlpianus scribit οὐ ὅλεθρος
αὔξιος. οὐ πολλοῖς προξένησας ὅλεθρον, τῷ μετα-
βάλλειν τὰ γερμανατα ἐν τῷ αναγνώσκειν: vel
interitu dignus, vel qui multis causa fuit interitus,
mutando litteras inter recitandum.

Porro librarii etiam libelliones dicebantur,
quemadmodum a tabulis tabularii dicti et ta-
belliones. NONIVS MARCELLVS edit. plantin.
pag. 162. libellionem, ut tabellionem. Varro Ma-
nlio. Tum ad me fuerunt (al. ferunt) qui li-
bellionem esse sciebant. STATIVS sylv. lib. IIII. 9.

Sed Brutis senis oscitationes
De capsa miseri libellionis
Emtum plus minus ase Caiano
Dona.

Nihil sane est, quod ostendat, VARRONEM et
STATIVM in his locis intelligendos potius esse
cum IACOBO GOTHOFREDO de exceptore et
scriptore instrumenti, quem hodie notarium
vocamus; quam de quolibet librorum scripto-
re; seu βιβλιογράφῳ. Verum et libellionem
esse etiam publicum scribam; seu publicum
actorum scriptorem, verisimile admodum est.
In veteribus glossis, a LABBAEO collectis, ha-
betur γεαμματεῖς libelliones: γεαμματεῖς scri-
ba; γεάμμα vero non solum litteram; sed
et librum, et instrumentum, et tabulas con-
tractus designat: γεαμματογράφοι tabularii pub-
lici, qui δημόσια γεάμματα conseribunt, ut
obseruat SALMASIUS de modo usūr cap. 15.
pag. 675. Publicos contractuum; vel testamen-
torum scriptores tabelliones dictos esse constat,
de quibus agitur in l. 1. C. th. ad leg. Cornel. de
falsis, l. 21. C. iust. eod. tit. l. 3. C. th. de decu-
rionibus l. 15. C. iust. eod. tit. l. 14. §. 13. C. iust.
de sacros. eccl. et sāpe alibi in eodem cod. et
nov. 44. περὶ τῶν συμβόλαιογράφων, π. τ. λ.
Glossæ nomicæ: Ταβελλίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως
γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομι-
κὸς λεγόμενος, ἀπαντα ἐπιτελῶν τὰ τῶν πολυ-
τῶν γεαμματεῖα, ἐκαστον ἀντων ὀικείοις ἐπισ-
Φραγίζον γεάμμασιν: quæ et apud SVIDAM
habentur in voc. Ταβελλίων, et in voc. Πεισπός.
Quamquam vero tabelliones instrumenta scri-
berent; nondum tamen eam auctoritatem ob-
tinuerant, quam notarii nostræ ætatis ha-
bent.

bent, vt testibus non interrogatis, ipsorum instrumentis credatur, vt monet PANCIROLVS in *notitia dignitat. imperii orient. cap. 14.* Sequior ætas tabelliones adpellauit tabularios, vt in nouella quadam Leonis animadvertisit CVIACIVS ad lib. 15. C. de decurionib. Glossæ nomicæ: Ταβλιώνος, Ταβληταρίου. Proprie vero tabellarii erant, qui ciuitatum; aut prouinciarum chartas, et rationes tractabant ac supputabant: circa rem tributariam occupati erant, ideo SIDONIVS lib. IIII. epist. II. scripsit: habens procuratorem in negotiis, villicum in praediis tabularium in tribuvis. Erant addicti tabulario ciuitatum, in quo pleraque publica et priuatorum recondebantur, veluti debitorum obsignatae pecuniae; maxime vero tabulae publicæ in eo seruabantur LIVIVS lib. XXXIII. Censores signatis tabellis publicis, clauso tabulario, dimissisque seruis publicis, negarunt se quidquam publici negotii gesturos. Glossæ veteres γεωμετροφυλακιον tabularium. Glossæ PHILOXENI λογιστήριον tabularium, quippe in eo rationes publicæ subducebantur. Tabularii etiam in rebus priuatorum plerumque adhibebantur, vel vt pro imperitis litterarum scriberent atque subscriberent; vel vt pro stipulari properatatem nequeuntibus stipularentur quasi personæ publicæ, in §. Quum autem 3. inst. tit. de adopt. Libri manu exarati, CVIACIO, HOMANNO, PACIO testibus, habent personæ publicæ,

id est tabellario. THEOPHILVS ibid. εν δημοσίῳ περωτώπῳ τούτεσι τῷ ταβελλάριῳ. Glossæ nomicæ, ταβελλαρίοι, δημόσιοι. Olim erant servi publici ciuitatis arg. l. 3. C. de seruis reipubl. manumittend. Deinde quum ex iis tabularii defiissent ordinari, ut coniicit IAC. GOTHOFREDVS ad l. vlt. C. th. de tabulariis, e seruis vel colonis priuatorum creari cœperunt. Sed imp. HONORIVS d. l. vlt. quæ est lex 3. C. Iust. eod. tit. iussit, ut liberi homines tabularii ordinarentur; neque ulli deinceps ad hoc officium patet aditus, qui esset obnoxius seruituti.

Ex iis omnibus, quæ hactenus dicta sunt, perspicuum esse arbitror, notarios, qui scilicet notas adhibebant, adcurate distinguendos esse a singulariis, a calligraphis, seu librariis, a tabellionibus, a tabulariis: dicendum nunc breuiter est de vsu tum siglorum, tum etiam notarum. Sigla quidem frequentissima in nummis et lapidibus habentur: codicis theodosiani et iustinianei vtramque paginam implent in legum inscriptionibus et subscriptiōnibus, veluti P. V. R. *prefecto urbis romanae.* D. S. *Data subscripta:* frequens eorum usus in formulis: item in sententiis, quemadmodum sigla illa C C C. cum consilio conloquitus quæ in antiqua sententia ALFENI SENETIONIS exhibentur a CVIACIO obs. lib. xviii. cap. 32. Romæ patricios, e quorum ordine iurisconsulti erant, notis olim in formulis conscribendis

dis vſos ſuiffe nouimus: quum enim formulæ
vna cum fastis anno V. C. ccccxxxviii. euulgatae
effent a Cn. Flauio, vt eſt in l. 2. §. poſtea 7. D.
de orig. iur. iurisconsulti nouas formulas excogita-
tarunt, quas notis conſcriperunt. CICERO pro
Muræna cap. xi. Inuentus eſt, inquit, ſcriba
quidam Cn. Flauius, qui cornicū oculos con-
fixerit, et ſingulis diebus ediscendos fastos po-
pulo proposuerit et ab iphis cauſis iurisconsultis
eorum ſapieniam compilarit. Itaque irati illi,
quod ſunt veriti, ne dierum ratione peruulgata,
et cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas
quasdam componuerunt, ut omnibus in rebus iſi
intereffent. Quo quidem in loco dum querunt
doctissimi viri, quid notarum appellatione ſigni-
ficerut, non vna eſt omnium ſententia.
MANVTIVS enim obſcura quædam verba inter-
pretatur: SYLVIVS AMBIANVS formulas:
CVIACIVS quoque in lib. XI. resp. Pauli, ad l.
Lucius 40. D. de teſtam. mil. exponit formulas
litteris ſingulariis, hoc eſt, vt ipſe accipit,
ſiglis conſcriptas, quemadmodum et VALERIVS
MAXIMVS laudato ſuperius loco tradit, veteri-
bus ſenatusconsultis T. litteram fuſſe ſub-
ſcriptam, qua nota ſignificaretur, illa tribu-
nos quoque censuiffe. Alii, vt GRAEVIVS
ad eum Ciceronis locum, pro figuris, nullam
ſpeciem litterarum habentibus, accipiunt, quod
etſi veriſimilius profecto ſit; nil tamen im-
pedit; quo minus etiam ſiglis formulas
quasdam conſcriptas fuſſe cum doctiſſimo

CVIA.

CVIACIO sentiamus. In legibus quoque et edictis scribendis describendisque notas quasdam adhibitas fuisse coniicitur. **MANILIVS**

*Hic etiam legum tabulas et condita iura
Nouerit, atque notis leuibus pendentia
verba.*

Nisi forte hic locus de notis, quibus formulæ scribebantur, intelligendus videatur. Vsum notarum in epistolis **CICERO ad Attic. lib. viii. ep. 32** in testamentis militum **PAVLVS IC.** indicat in laud. **I. Lucius 40. in princ.** notasque numerales in testamentis adhibitas fuisse, non solum ex **SVENTONIO** in *Galba cap. 5.* sed et ex **Vlpiano** colligitur in *l. quoties 9. §. sed et si quis 4. D. de hered. inst.* Ait enim: *Sed si quis pro centum ducenta per notam scripsisset, idem iuris est; nempe centum legata obtinebit.* Ceterum in usitatis notis conscriptum pagani testamentum nec ciuili; nec prætorio iure valet, vt recte docet **CVIACIVS obf. lib. III. cap. 3.** et **DIONYS. GOTHOFREDVS ad d. l. Quoties.** Maxime vero, vt pleraque omittam, notarum usus inualuit, vt veloci manu exarari possent, vel quæ ab oratoribus recitabantur; vel acta magistratum; vel huiusmodi alia; vtque adeo notis expeditam, ac profluentem dicentis celeritatem et, quemadmodum **HOMERV** ait ἐπειδη πτερόεντα, scribentes adsequenteruntur. Orationem **CATONIS** in Lentulum et Cethegum, aliasque coniuratos, notis exceptam fuisse, narrat **PLVTARCHVS** in *Catone,* simul-

simulque notariorum originem indicat. Τέτον
μόνον, ὃν κάτων εἶπεν, διασώζεσθαι Φασὶ τὸν
λόγον, Κικέρωνος, τὰς υπάτια τῆς διαφέροντας ὀξύ-
τητῶν γραφέων σημεῖα περιδιάχαντος, ἐν μικροῖς,
καὶ βερίχεστι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα
δονάυι, ἔτι ἀλλον ἀλλούσσε τῇ βουλευτικῷ
σποράδῃ ἐμβαλόντος. ὅπω ταῦτα ἡσή-
τηντο τὰς καλυμένας. σημειωγάφες, ἀλλὰ τότε
περτέλεις ἵχνος τι κατασῆναι λεγόσιν. Hanc
solam ex iis, quas Cato dixit, seruari ferunt
orationem, quum Cicero consul præstantes cele-
ritate scriptores notas prædocuisset, quæ paruis
et brevibus figuris multarum litterarum vim
haberent; deinde aliud alibi in curia sparsim
disposuisset; nondum enim instituebant, neque
sibi parauerant eos, qui notarii appellantur;
sed tunc primum eius rei signum aliquod appa-
ruisse ferunt. ASCONIUS etiam tradit, oratio-
nem, quam Cicero pro Milone dixit, quæque
adhuc Asconii aetate extabat, fuisse notis ex-
ceptram; alteram vero, quam nunc habemus, a
Cicerone postea scriptam, illa multo absoluotiorem
esse. Notarum usus erat, inquit ISIDORVS
orig. lib. i. cap. 21. ut quidquid per contentionem,
aut in iudiciis diceretur, librarii scriberent,
complures simul adstantes diuissim inter se parti-
bus quot quisque verba et quo ordine exci-
peret. De iis, qui acta præsidium notis exci-
piebant, nonnulla AMMIANVS habet lib. xiiii.
MODESTINVS in l. inter eos 33. §. 1. D. in
quibus caussis maiores eos ait, qui notis scri-
bunt

bunt acta præsidum reipublicæ causa non adesse certum est. Etenim commodi sui causa operam præsidibus nauabant, ideo nec reipublicæ causa abesse credendi erant; nec ex eo edicto restituendi, vt recte docet ANTON. FABER in ration. ad eam l. 33. quemadmodum nec ii, qui legationes liberas a senatu impetrabant, aut priuati ornamenti; aut priuatae rei gratia l. reipublicæ 36. D. eod. l. Qui libera 14. D. de legationibus, quod etiam animaduertit GERARD. NOODT in comim. ad tit. pand. ex quibus causis maior. Actorum eiusmodi, quæ sæpe notis, vt videtur, excipiebantur, complura exempla habemus apud RVINARTIVM; nonnulla in pandectis extant, veluti apud SCAEVOLAM in l. penult. D. de auctor. et cons. tutor. et cur. vbi referuntur acta quædam inter curatorem pupilli et creditorem facta apud procuratorem Cæsar. Priscus procurator Cæsar. dixit: faciat iudicata: Nouellus curator dixit: abstineo pupillum: Priscus procurator Cæsar. dixit: Responsum habes, scis quid agere debeas. Similia actorum apud principem exempla dabunt MARCELLVS in l. pen. D. de his, qui in testamento delentur; CALLISTRATVS in l. pen. D. ad l. Iul. de vi priu. Demum quæcunque res veloci manu scriptis mandanda esset, notis adhibitis quam citissime designabatur, quum portissimum accederet mira quædam scribentis celeritas longo certe usu comparata. De Tito SVETONIVS in eius vita cap. III. e pluribus, inquit,

quit, comperti notis quoque excipere velocissime solitum. Præter MANILIVM superius laudatum MARTIALIS lib. XLI v. 184.

Curvant verba licet, manus est velicior illis.

Nondum lingua suum dextra peregit opus. Eleganter diuus BASILIVS in epistola ad notar. q̄i λόγῳ τὴν Φύσιν ὑπόπτερον ἐχεστί. διά τέτο σημειῶν χρήστιν, ἵνα ἵταμένων αὐτῶν λαβθῆται τάχος οὐ γέφων. Sermones alatæ naturæ sunt: ideo notis opus habent, ut ipsorum volantium celeritatem scriptor adsequatur. Ad celeritatem quoque, licet multo minorem, ea verborum compendia pertinent, quæ abbreviations vulgo dicuntur et quoniam litteris constant communis consensu receptis, longe distant a notis; nec unicam tantum, ut sigla; sed plures litteras continent; non omnes tamen, quas integræ dictio requireret.

CAPVT III.

Earumdem constitutionum loca superius adlatae explicantur. Quid siglorum adpellatione ibidem continetur. Testamentum parentis inter liberos ὀλογέδυματον ex nou. 107. cap. i. Pena si quis aduersus eas constitutiones faxit.

PLEVRIBVS differentiis veluti in antecessum propositis, illud est huius institutæ scriptoris ac temporis inuestigare, an superiore Iustiniani prohibitione tantummodo sigla proprie sic adpellata; an vero et notæ et abbrevia-

viae

uationes quælibet contineantur. Ac procul dubio adfirmari posse videtur, imperatorem hæc omnia a pandectis arcere voluisse. Ad primas dictionum litteras, veluti I. E. iudex esto prohibitionem illam pertinere, s. ISIDORVS recte existimauit, quippe de huiusmodi litteris, quæ verborum suorum notæ sunt, ita scripsit origin. lib. 1. cap. 22. Has iuris notas nouitii imperatores a codicibus legum abolendas sanxerunt: quia multos per has callidi ingenio ignorantes decipiebant; atque ita iusserunt scribendas in legibus litteras, ut nullos errores, nullas ambages afferant; sed sequenda, et vitanda aperte demonstrent. Minime dubitandum videtur; quin hispalensis episcopus, dum nouitios imperatores memorauit, Iustinianum intellexerit, post cuius obitum quinquaginta fere elapsis annis florebat. In Hispaniam vero peruenisse Iustinianas leges, argumento illud est, quod maxima Hispaniæ pars usque ad Leouigildum, qui regnare cœpit anno fere D L X V I I , græco parebat imperio, atque omnino romani iuris auctoritas extincta ibidem fuit anno D C R V I I , vt recte coniicit DONATVS ASTENSIS dell' uso, e autorità della ragion ciuile l. 1 cap. VIII. pag. 161. Mirum videri poterit, ISIDORVM ipsum orig. lib. v. cap. 1. ubi legum conditores refert, nullam Iustiniani mentionem habere. Distinguit a legibus antiquis nouas, quas a C O N S T A N T I N O cæfare cœpisse tradit: deinde Gregorianum, Hermogenia-

num

num et theodosianum codicem nominat: de iustinianeis collectionibus ac nouellis ὁδῷ γεύ. Fortasse recentiores ipsas omisit, quārum recens memoria erat, quasi nec quisquam fere esset, qui editos a Iustiniano libros ignoraret; ideo nouitios imperatores quasi nouissimos dixit ex ALFENI sententia (vtcumque ab A. GELLIo improbata noct. att. lib. 17. cap. 5.) quum augere atque intendere vellet noui significationem.

Neque solum prohibuisse videtur Iustini-
nianus, ne dictiones integras prima dumtaxat littera librarii indicarent; sed multo etiam magis, ne notis in specie sic adpellatis pandectas describerent. Sane siglorum adpellatione Iustini-
niani æuo etiam notæ comprehendebantur; idque ex eo coniici potest, quod quæ græco prorsus nomine σημεῖα dicta sunt, latino ad græcorum formam prolati vocabulo σίγγλας tunc temporis nuncupabant. En ipsius TRIBO-
NIANI verba in const. Δέδωνεν §. 22. καὶ
κατὰ τῶν σημείοις τισὶν ἐν τῇ γεαθῇ χρωμένων
ἀπεξ σίγγλας καλλστιν, et aduersus eos, qui
notis quibusdam in scriptura utantur, quas siglas
vocant. Quo quidem loco τὰ σημεῖα non tam
pro primis dictionum litteris; quam pro notis
potissimum accipi videntur: græce notas σημεῖα
dici, iam superius innuimus, et in synopsi ba-
silic. lib. xxxv. tit. 21. cap. 33. pag. 526. quod
PAVLVS IC. de notis dixerat in l. Lucius 40. in

C

princ.

princ. D. de testam. milit. id ita adfertur
 $\delta\chi\omega\nu\theta\alpha$ τὰ σημεῖα εἰς διαθήκην, admittimus
 notas in testamentum. Quæ vero sigla numero-
 rum in const. Deo auctore §. penult. dicuntur,
 nil aliud esse videntur; quam nōtæ numerales.
 Interdum tamen sequiore etiam ætate τῶν
 $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\omega\nu$ adpellatio sigla proprie dicta complec-
 batur. MAGNONIS liber de notis, quo sigla
 quam plura continentur, Carolo regi hoc disticho
 dicatus est:

Hac iuris σημεῖα libens rex accipe Carle,
 Offert deuotus quæ tibi magno tuus.

Præterea non sigla tantum; sed et notæ er-
 abbreviationes scripturam conturbant, qua voce
 vtitur ea const. Δέδωνεν Iustinianus. Ad sigla,
 notas, monogrammata, abbreviations, aliudue
 quid simile ratio illa pertinet, quam ipse adferr-
 d. const. Deo auctore §. penult. his verbis, ne
 autem per scripturam aliqua fiat in posterum du-
 bitatio. Ea omnia sunt compendiosa enigmata,
 quæ ibidem ille auersatur, et per compendium
 ipsi legum interpretationi, vel compositioni maxi-
 mum adferunt discrimen, ut est in const. omnem
 §. illud, adeo ut diuinantibus magis; quam in-
 terpretantibus, opus sit, quemadmodum im-
 perator idem ait nov. 107. in prefat. ac ridicu-
 lum procul dubio suisset sigla vetare; notas au-
 tem et abbreviations aliae compendia per-
 mittere, quum vel hæc ipsa sæpenumero te-
 nebras offundant clarissimis alioqui legi-
 bus

bus et cuius etiam perito ancipitem cogitandi curam relinquant. Id apertissime testantur quiamplura doctissimorum hominum non in singulis modo; verum etiam in notis explicandis dissidia, veluti quum alii notam illam ζ qui-narium numerum, alii τὸ κόπτα, seu nonagenarium, recte alii senarium designare putarunt. Quam s̄epe in errorem induxerint figura, notae, litterarum compendia male percepta ab imperitis librariis, quorum erat Dauum potius agere; quam Quedipum, referre super-
fedeo.

Illud etiam accedit, quod omnia hæc ab eo scribendi genere, quod Iustinianus iubet, maxime abhorrent: vult enim pandectas per litterarum consequentias scribi, dicta const. Deo auctore §. penult. d. const. tanta §. 22. pœnaque eos coerget, qui μὴ δι ὅλος τὰς τε αἰδιμάς, τάτε νόματα τῶν πάλαι σοφῶν, πήν τε ὅλην νομοθεσίαν γράφεται... non per totum numeros, et nomina veterum prudentium et totam legum positionem scribunt. Qui notis et abbreviationibus vivitur, is certe non per consequentias litterarum, non δι ὅλος scribit: quod sane apertissimum est. Ita quoque testamentum parentis inter liberos, et si in eo plura testamentorum sollemnia relaxentur; ὅλου ρήματον tamen sit, necesse est: iubet enim Iustinianus nou. cxi. cap. i. nomina filiorum, propria patris manu, qui litteras sciat, præterea vincias, ex quibus scribit eos

C 2

here-

heredes, non signis numerorum, μη τοῖς συμβόλοις τῶν ἀριθμῶν designari; sed per totas litteras δι ὅλων γεγαμέτων declarari. Quae hic imperator σύμβολα τῶν ἀριθμῶν dixit, eadem in laud. const. Deo auctore §. penult. sigla numerorum vocauerat. A GALENO σημεῖα τῶν ἀριθμῶν dicta sunt: sic enim scripsit περὶ ἀντιδότων lib. I. c. 5. in fine: τὰ δὲ δῆθι θεραπεία κατὰ τὰς βιβλιοθήκας αποκείμενα, τὰ τῶν ἀριθμῶν ἔχοντά σημεῖα, ράδιος διατρέφεται... libri vero, qui in bibliothecis repositi sunt et numerorum signa habent, facile deprauantur. Huiusmodi erroribus ut occureret MENECRATES, librum scripsit, quo nullæ numerorum notæ continebantur, eique idcirco hanc epigraphen adiecit: Ολογέμυτα αὐτοκέπτος, *Hologrammata imperatoris*, ut eodem loco GALENVS testatur.

Ea quoque de causa Iustinianus ολογέμυτας esse voluit pandectarum libros, ac, si quis aduersus eas constitutiones faceret, ei falsitatis pœnam irrogavit, grauem eam quidem et impense acerbam, quaē facile ostendit, quo animi proposito, et quam acri studio imperatori consilium esset, cauere, ne siglorum notarumue cacoethes in pandectas irrueret. Quum enim graue admodum sit, liberum hominem romanam ciuitatem atque adeo patriæ potestatis, testamenti, legitimarum hereditatum iura amittere, spoliari bonis, fortunisque omnibus, licet ipsi eorum, quæ postea adquiret, vñus

vſusfructus concedatur, neruo; aut compedi-
bus vinctum in certam insulam deportari, ibi-
demque perpetuo manere, his omnibus, quæ
deportationis propria sunt, l. sunt quidam 17.
§. 1. D. de pœnis l. inter 6. in princ. l. deporta-
tus 15. D. de interd. et releg. l. deportatorum 8.
C. de pœnis, eum coerceri Iustinianus voluit,
qui sigla notasque in conscribendis pandectis
adhiberet; imo vero si seruus eſſet, vltimo sup-
plicio damnari: nimirum falsitatis pœna in ser-
uos vltimum supplicium eſt; in liberos vero
deportatio §. item 7. iſt. tit. de publ. iudic. Et
quoniam ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint
facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam
habentur, l. non dubium 5. C. de legib. omnem
idecirco in iudiciis fidem et auctoritatem haud
immerito ſuſtulit Iustinianus iis pandectarum
voluminibus, quæ sigla in quacunque ſui parte
vel ſemel tantum contineant. Iam vero quum
huiusmodi librorum domino damnum exinde
inferatur, eorum aëtimationem in duplum con-
ſequi idem poterit, ſi ignorans tales libros vel
comparauerit; vel confici curauerit. Atque adeo
ſane, quæ duo in coercendis delictis legislatori
animaduertenda ſunt, nempe, vt GROTIUS ait
de iure bell. ac pac. lib. II. cap. 17. §. 22. actus vitio-
ſitas et effectus, vt illi pœna, huic damni re-
paratio respondeat, ea diligenter hiſce constitu-
tionibus Tribonianum obſeruaffe, compertum eſt.

CAPVT V.

*Librarios, qui florentinum exemplar, conscrip-
serunt, iustinianeis constitutionibus non ubique
penitus paruisse ostenditur: unde conjectura est,
illud non esse Iustiniani archetypum.*

Eiusmodi exemplaris etas.

IAM quæ fuerit imp. Iustiniani ea de re mens, quæ cura, quæ sollicitudo, satis superque hacenus expositum est: sequitur, ut ordine videamus, virum florentini exemplaris scriptores; plures enim eos fuisse, ANT. AVGVSTI-
NVS emendat. lib. IIII. cap. 2. et BRENCMAN-
NVS hist. pand. lib. I. cap. 3. optime coniecerunt, iis constitutionibus diligenter paruerint. Ac nulla quidem in eo sigla in specie sic dicta inueniri testatur idem BRENCMANNVS *autóπτης* lib. II. cap. 3. pag. 120. Verum in tit. *de legi-
bus* aliisque locis aduersus Iustiniani sanctionem numeri librorum notis designati sunt, eodem
que titulo *K* pro *ng* legitur. Quin etiam in l. 13.
cod. tit. habetur LIBRO I AD EDICTUM AEDILIJM
pro libro primo ad edictum aedilium; sed iam olim
correctum fuerat plenisque litteris perscriptum.
Notæ etiam numerales existant in inscriptionibus
l. 25. de heredib. inst. l. vlt. ad S. C. trebell.
l. 6. de confessis l. 16. de legationibus: quas qui-
dem obseruationes diligentissimo BRENCMANNO
debemus, qui alia exempla in toto exemplari
se non deprehendisse, fatetur. Aliter se res ha-
bet

bet in alariciano codice Wurceburgensi, quem
ECCARDVS *rer. franc.* lib. 23. pag. 452. pan-
dectis florentinis ætate parem, si non supe-
riorem, cl. **RITTER** in epist. ad lectorem præ-
fixa codici theodosiano Lipsiae edito, illis procul
dubio antiquiorem existimavit. Multa in eo
sunt, eodem RITTERO teste, litterarum com-
pendia, nomina propria decurtata, sigla de-
mum, veluti **AD. Augustus** dixit; sed quamuis
notæ, quas extare diximus in florentino ex-
emplari perpaucæ sint, nulliusque fere mo-
menti; aduersantur tamen iis Iustiniani ver-
bis καν ει προς απαξ ειν τετο γενομενον . . .
etiam si semel sit hoc admissum. Interim duo hæc
liceat colligere; primum nempe, Iustiniani;
seu Tribonianii authographum; siue archety-
pum illud exemplar non esse, in quo sanctio-
nes de ratione describendi pandectas ab ipso
imperatore conditæ, tanta seueritate munitæ,
inculcateæ sæpius, ac summa sollicitudine to-
ties confirmatæ, interdum etsi perraro, ne-
gliguntur tamen, adeo, ut si nondum illæ in
desuetudinem abiissent, id ipsum exemplar
nulla in iudiciis auctoritate polleret; alterum
vero, quum raræ admodum in eo notæ et
abbreuiationes deprehendantur, non multo
post ipsius Iustiniani mortem, iisque consti-
tutionibus nondum penitus obsoletis idem
descriptum fuisse. Quæ quidem doctissimo-
rum virorum, **ANTONII AVGUSTINI** lib. I.
emend. cap. I. **ANTONII CONTII** lib. disput. c. 6.

FRANCISCI TAVRELLI ad lector. ante edit.
 flor. PETRI LAMBECII in commentar. de biblioth. cæsar. Vindobon. lib. I. cap. 14. et BRENG-
 MANNI hist. pand. lib. II. cap. 3. sententia per-
 quam verisimilis est. Vetustatem enim etrusci
 exemplaris complura testantur, litterarum for-
 ma, quæ græcæ ac romanæ veteri scripturæ
 proxime accedit; nisi quod quædam in Gotthis
 accepta videntur, ut recte monet ANT. AV-
 GUSTINVS in prefat. lib. I. emendat. rarissima
 dictionum interualla, nullæ plerumque
 interpunctiones, græca sine ullis accentuum
 notis, quæ vbi adiectæ sunt, recentior manus
 aperte dignoscitur. Et sane in antiquioribus
 Ms. aut coniunctionem illam vocum sine inter-
 capidine vlla occurtere; aut punctum post om-
 nes voces; vel post singulas dumtaxat clausulas
 additum esse, omnes norunt, qui huiusmodi
 exemplaria versare solent: quod et præ ceteris
 testantur cl. MONTFAVCON pal. græc. lib. I.
 cap. 4. et 10. CLERICVS art. crit. part. III. seſt. I.
 cap. 10. §. 2. diserte etiam 10. MORINVS ait
 in exercit. XII. de hebrei græcique textus sinceritate,
 num. 5. Antiquos tam grecos; quam
 latinos continua litterarum serie scripsisse, nullis
 super; aut inter verba distinctionibus; aut accen-
 tibus adscriptis. Deinde vero, magna, in-
 quirat, pars librorum, qui ante centum supra
 mille annos scripti supersunt, est istiusmodi.
 Quamuis enim ARISTOPHANES Byzantius
 grammaticus olympiade CXXXV. sub Ptole-
 mæo

mæo Epiphane, Aegypti rege, accentuum et spirituum formas inuenerit et, quo loco es-
sent constituendi, docuerit; a librariis tamen
ante VII. saeculum negligebantur, ut lauda-
tus MONTFAVCON obseruat *dict. cap. 4.* Quam-
obrem haud immerito doctissimi plerique viri
florentinum pandectarum exemplar VI. vel VII.
saeculo exaratum putarunt. BRENCMANNVS
enim *lib. II. cap. 2. pag. 106.* circa a. d. DLXXII.
certo non ita multo post conscriptum existimat:
MABILLONIVS *de re diplom. lib. V. tab. 6.*
illud inter libros, saeculo VI. scriptos, accensuit:
initio saeculi VII. idem adscriptis laudato supe-
rius loco LAMBECIVS: em. NORISIVS fere
post dimidium saeculi VII. scriptum esse, iudi-
cabat: sic enim sententiam suam protulit in
cenotaph. pis. diff. IIII. cap. 6. in pandectis
ante mille annos, et quod excurrit, maiori ro-
mana littera exaratis ubique legitur; solemne.

CAPVT VI.

Coniecturæ aliae, quibus comprobatur, florent.
exemplar non esse prototypum Iustiniani.
Exemplaris eiusmodi menda, et lacunæ.

PRAETER superiorē illam ex Iustiniani con-
stitutionib⁹ ductam, aliae quoque adferri
coniecturæ possunt, quibus facile ostenditur,
florentinum pandectarum exemplar imperatoris
ipsius archetypum non fuisse. Nam vt sin-
gula librariorū menda præteream, quæ in

C 5

illud

illud irrepserit, et quæ postea ad alicuius libri exemplum correcta videntur, quemadmodum sentiunt *ANT. AVGUSTINVS lib. I. emend. cap. 1. in fine*, et *CONTIVS 1. disput 6. et 1. subseciu. 8.* diuersa manus, diuersumque atramentum, quo factæ ibi sunt emendationes, aliæ, vt licet coniecturis adsequi, coauæ, aliæ, recentiores, vt obseruat *BRENCMANNVS lib. I. cap. 3. in fine*, *POLITIANI* sententiam refellunt existimantis *miscellan. cap. 4.* emendationes illas ab ipso Triboniano prodiisse. Iam si quis lacunas, quæ in eodem exemplari habentur, animaduertat, archetypum illud esse, haud facile existimabit. Interdum enim in alicuius capitulis; seu legis contextu non modo aliquot verba; sed integri etiam versus a librariis omissi sunt, veluti in *I. Quintus 27. §. cui legatum 4. de auro, argento, mundo leg.* Florentiæ hæc leguntur, *cui legatum est aurum omne, quod suum esse (legendum esset) cum moreretur, vindicare potuit suum esse.* Quædam hic desunt, quæ felici coniectura quondam restituta fuere in vulgatis, nempe hæc postea verba *cum moreretur addenda esse*, haud immerito visa sunt, *cuius omne aurum fiet, quod tunc paterfamilias cum moreretur.* In fine tituli *de bonis damnatorum* lex 7. absoluta non est; sed pars columnæ, et integra sequens pagina vacua manet, *BRENCMANNO* ipso teste *I. II. cap. 5.* et quatuor leges ibidem desiderantur, quas *CVIACIVS lib. VI. obs. cap. 23. ex libro LX. Basilicor.* resti-

restituit. Ita etiam in fine tituli *de interdictis et relegatis* exarandæ superfunt vnius, columnæ duæ tertiae partes, integra etiam columnæ altera, denique tertia pars primæ columnæ folii aduersi, ut locupletissimus auctor BRENCMANNVS idem laudato loco testatur; adeoque duarum veluti columnarum spatium relictum est, ac reuera desunt leges decem, quas in editione sua ANT. CONTIVS ex latino basilicorum libro LX. CVIACII, post *legem 9. de interd. et relegatis* reposuit; sed ut animaduertit LEVNCLAVIVS notator. lib. II. num. 118. thes. iur. tom. III. col. 1529. quia CONTIVS græca non viderat, vitium quoddam typographicum in l. 15. §. deportatus i. in suam quoque transfudit editionem, quippe edidit *sine principe*, quum in basilicis habeatur χωρὶς βασιλεῶς, *sine principe*. Omnes autem laudatas leges quatuordecim, quæ in florentinis pandectis aliisque desunt, CAROLVS HANNIBAL FABROTTVS post XI. exercitationem, græce et latine ex versione CVIACII ex libro LX. basilicorum tit. 52. et 54. edidit; atque in thes. iur. tom. III. col. 1229. et seq. habentur. Denique et illud non omittendum, quod BRENCMANNVS tradit, post titulum *de bonis damnat*. ac titulum *de interdictis et relegatis*, in florentinis pandectis quedam adnotata esse defectum proculdubio denotantia; sed quæ prævetustate discerni amplius nequeunt. Quamobrem præter illas Iustiniani constitutiones, quibus libra-

librarii in florentino exemplari describendo non omnino paruerunt, siue ea spectentur, quæ mendose ibidem scripta sunt; siue ea, quæ perperam sunt omissa, vix ac ne vix quidem probabile videri cuiquam poterit, fuisse illud imperatoris eiusdem; siue Tribonianii quis mallet, archetypum.

CAPVT VII.

An pandectarum exempla, que superesse noscuntur, omnia ex florentino exemplari originem duxerint. Adfirmantium opinio, grecis libris exceptis, prefertur. De perturbato in postremis exemplaris eiusdem chartis conglutinandi ordine. Eius erroris schema. Haud rectum esse earum chartarum ordinem ostenditur.

SED iam ad superius propositam secundo loco quæstionem consentaneum erit accedere, quæ plurimum dubitationis habet et in qua pertractanda doctissimorum hac nostra etiam ætate virorum non unum idemque est iudicium. Quæritur nempe, an libri pandectarum, qui exstant; vel quos existare nouimus, omnes e florentino exemplari manauerint. Ac mihi quidem rationum, quæ utrinque adferuntur, momenta accurate perpendenti, tametsi præstantissimi viri C VIACIVS, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNVS, VAN ECKIVS, SCHVLTINGIVS, ac nouissime etiam DONATVS ASTENSIS, GRANDIVS, TANVCCIVS, CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS, WIELINGIVS

LINGIVS id negent; firmissimis tamen argumentis inniti semper visa est LAELII TAVRELLI et ANTONII AVGUSTINI sententia (FRANCISCO BALDVINO, LVD. MIRAE, FREHERO, THVANO, HILLIGERO, ALBERICO GENTILI, DVCKIO, VLRICO HVBERO, REINOLDO, BVRCARDO GOTTHELF STRUVIO, BRENCMANNO etiam probata) qua coniicitur, omnes, quos exstare nouimus, pandectarum libros ex hoc ipso, de quo agimus, florentino exemplari originem duxisse. Idque in primis ostendit insignis ille error, quo conglutinator librarius; siue ut vno verbo cum COMNENO in *descriptione montis Atho* loquar, Βιβλιοθέτης, postremas secundi voluminis chartas, quæ dissolutæ erant, perperam transposuit atque adeo penultiimæ loco eam collocauit, quæ antepenultima esse debuerat. Omnium primus erratum hoc animaduertit LAELIVS TAVRELLVS ac de eo scripsit in epistola ad Franciscum filium ante commentarium ad gallum et L. Velleiam thes. iur. tom. IIII. col. 1603. ostenditque idem ANTONIO AVGUSTINO, ut hic testatur lib. I. emend. cap. I. Itaque quum eadem ordinis inuersio in digesta omnia, siue manu exarata; siue typis ante LAELIVM TAVRELLVM edita inuaferit, neque ullum adhuc, si edita post Lælianam illam obseruationem excipias, exemplar prodierit, in quo error idem non deprehendatur: haud leuis profecto conjectura est, omnia, quæ habentur, pandectarum exem-

exempla e florentino manuscripto dimanasse. Quod tamen de græcis libris, quibus pandectarum interpretatio; aut paraphrasis continetur, minime sentiendum est: tum quia licet florentino exemplari longe sunt posteriores; tamen concinnati magna ex parte videntur et versione κατὰ πόδα ΘΑΛΕΙΑΣ, quem Iustiniano σύγχρονο fuisse ferunt; tum quia, ut animaduertit ANT. CONTIVS disp. cap. 6. in iis capita; seu leges tituli *de regulis iuris* eo ordine collatae sunt, quo dispositæ fuerant in florentino ipso exemplari; antequam tres ultimæ eius paginae transponerentur.

Neque vero in dubium vocauerim, quin hæc membranarum trajectio in florentino libro existet: nam præter summam TAVRELLI et AVGVSTINI integratatem ac fidem, illam ipsam deprehendit HENRICVS BRENGMANNVS, ut constat ex hist. pand. lib. III. cap. 2. eamdemque ego ipse diligenter animaduerti, quum prium doctissimi viri de veteribus monumentis optime meriti ANT. FRANCISCI GORII opera pridie nonas Augusti anno CICOCXXXII. præstantissimum illud, ut IAC. GOTHOFREDVS ait, iuris prudentiæ ancile conspexi. Error autem huiusmodi est. Quinque secundi voluminis extrémæ chartæ ita compactæ sunt, ut earum prima et secunda, quemadmodum et quinta, recte se habeant; verum in tertia et quarta errauit Βιβλιοθέτης, qui tertiaræ loco quartam conglutinavit.

tinuit. Etenim tertiae chartæ postrema est lex non potest, de regulis iuris, in qua sunt hæc verba... non potest, dolo carere qui imperio magistratus non ... Quintæ chartæ initio ante l. Quoties nihil vestigia conspiciuntur verbi paruit, hoc modo, **SUIT** quod sane verbum extremo quartæ chartæ non cohæret, quam claudunt vltima verba legis ad ea, nempe hæc... In contractibus successores ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantum in id, quod peruenit; verum etiam in solidum tenentur: hoc est unusquisque pro ea parte, qua heres est... adiectaque sunt, ut in fine aliarum legum, duo puncta. Sed quo luculentius id omne exponatur, eorum schema, quærum in principio, tum in fine tres illæ chartæ habent, oculis animoque subiiciendum viderunt;

Initium tertia charta sumit a l. Creditor
Definit in hæc verba.

Idem libro sexto epistularum. Non potest
dolo carere qui imperio Magistratus non

Quarta incipit a l. Qui in seruitute
Definit in hæc verba legis ad ea

hoc est
unusquisque pro ea parte, qua heres est:

Quinta incipit ab hac voce

SUIT
Idem libro septimo epistularum. Quoties.

nihil
Extre-

Extremis igitur verbis legis *non potest*, ac tertiae adeo chartæ aptandum procul dubio est initium quintæ, hoc est, vox illa *paruit*, quam deinde sequitur lex *Quoties nihil*. Ita etiam post legem *ad ea*, quæ postrema est quartæ membranæ, et in hæc verba desinit; *heres est*, collocetur oportet lex *Creditor*, tertiae nimirum chartæ principium.

Accedit firmissimum ANTONII AVGUSTINI argumentum lib. i. emend. cap. i. quo mirifice comprobatur, errasse eum, qui postremas illas membranas compegit. Lex *ad ea* sumta est ex libro LXXI. Vlpiani ad edictum, quemadmodum ex eiusdem legis inscriptione adparet; si post eam collocanda esset lex *quoties nihil*, ut per summam conglutinatoris incuriam in MS. florentino collocata est, sumta esset eadem lex *quoties nihil* ex libro septimo epistolarum VLPIANI, quoniam in eius inscriptione legitur: *Idem libro septimo epistolarum*. Verum in indice, qui in illo ipso exemplari habetur et in quo nomina iurisconsultorum eorumque libri recensentur, ex quibus compositum est pandectarum syntagma, nullus profecto liber epistolarum VLPIANI refertur; ex aduerso autem si ea lex *quoties nihil* continuo scribatur post legem *non potest* ita, vti scripta esset; nisi membranæ illæ perperam compactæ essent, inscriptione hæc... *Idem libro septimo epistolarum...* ad IAVOLENVIC. tum pertinebit, cuius existant duæ

duae leges, quæ *αμέσως* antecedunt. Ipsi autem iAVOLENO quatuordecim libri epistolarum in eodem indice tribuuntur, *iavolenu epistolon βιβλια δεκατεσσάρα*. Constat igitur, legi non potest coniungendam esse vocem illam *paruit*, ideo, quæ antepenultima charta est, penultima esse debet. Quamobrem haud immerito quinque illis conglutinatis chartis numeri superius adpositi sunt ad oram exteriorem hoc pacto 1. 2. 4. 3. 5. idque probabile est a TAVRELLO profectum esse, ut ait BRENCMANVS lib. II. cap. 1. in fine.

CAPVT VIII.

Perturbatus idem ordo in ceteros pandectarum libros inuestus Aliena manus in vulgatis deprehenditur in l. non potest D. de reg. iur. Variæ lectiones in l. ad ea D. eod. Duorum titulorum trajectio in libro xxxvii. pand. e florentino MS. in ceteros libros deriuata.

PRAEPOSTERVM vero illum ordinem in manuscriptis omnibus et impressis ante TAVRELLI ætatem libri seruatum fuisse, viri docti testantur. LAELIVS TAVRELLVS in epistola ad filium, præmissa commentario ad Gallum et l. Velleiam ita scripsit: *Qua peruersi ordinis serie digestorum libri titulo de diuersis regulis iuris antiqui iam inde ante Accursium passim leguntur*, et ANT. AVGVSTINVS emend. lib. I. cap. I. ex his adparet errorem pisani librarii omnes librarios

D

sequit

sequitos et negare audeo existare aliquem digestorum librum, quo non idem error sit. Pisanum tamen fuisse librarium, qui in iis membranis compingendis errauit, equidem cum ANT. AVGUSTINO pro certo adfirmare non ausim: forte enim insigne hoc exemplar, antequam Pisas translatum esset, ac certe, antequam ex hoc uno ceteri libri fluxissent, perturbatum illum ordinem in se repererat. Sed hoc in præsentia οδος παρεγον. Ait quoque LUDOV. MIRAEVS: ante corpus iuris a. CICICLIT. nam quæcumque hactenus excusa sunt digestorum exemplaria, tum Ms. quæ quidem mihi videri contigit, haud dubie ab ipsis libris originem velut per traducens ducere videntur. Quod quidem ineluctabili arguento ita esse ex tribus chartis postremis etc. Fuerunt tamen CONTIO teste disput. cap. 6 nonnulli, qui quasi pro fabulis habebant, quod TAVRELLVS et ANT. AVGUSTINVS scripserant, propter præpostere concinnatas postremas illius exemplaris paginas capita tituli *de regulis iuris* perperam hodie in omnibus pandectarum codicibus esse transposita: prædicabant præterea posse reperiri quædam exempla, quæ eam capitum transpositionem non haberent. Quamobrem, licet ipse CONTIVS de ANT. AVGUSTINI et TAVRELLI fide non dubitarent, tamen, inquit, et quotquot potui exemplaria Ms. conquisui, ut quoad fieri posset, oculatus essem eorum, quæ vera affirmauerant, testis. Addit deinde numerosa diuersis in locis

ac

ac bibliothecis exemplaria inspexisse et quinque
sibi comparasse; reperiisse autem in iis omnibus
titulum de reg. iur. simili præsteratione
transpositum. Itaque, subiicit, mihi iam cer-
tissimum esse persuadeo, quod illi scripserunt, om-
nia, quæ extant, pandectarum volumina ex flo-
rentino veluti archetypo esse descripta. Neque
hactenus, quod sciam, vel ab iis, qui contrariam
sequuti sunt sententiam, exemplar vllum prola-
tum est, in quo non idem error deprehendere-
tur. Quod vero scripsit cl. GRANDIVS in no-
tis ad epist. de pandectis num. 29. nempe, non
enim per omnia prorsus; sed sere per omnia, in-
quit Contius, quotquot extant exemplaria is error
dimanauit; ergo aliqua ab illo immunia, ideoque
non ex etruscis libris descripta fateri necesse est.
id nullam profecto vim habere videtur; nam si
CONTIVS, qui, vt ipse fatetur, exemplaria, quo-
quot habere potuit, diligenter inspexit, vnum
vel alterum repetiisset, quod ab huiusmodi or-
dinis inuersione immune esset, vtique illud ad
refellendam TAVRELLI et AVGVSTINI, quam
expendere sibi proposuerat, sententiam indi-
casset; imo vero in adlato superius cap. 6. nullo
dubitacionis vel exceptionis signo addito, sed
απλως adfirmauit, omnia, quæ extant, pan-
dectarum volumina ex florentino esse descripta.

In vulgatis autem digestis, quibus adscrip-
tæ sunt ACCVRSSI glossæ, quoniam deesse aliquid
videbatur in laudata l. non potest D. de reg.
D 2 iur.

iur. iis verbis, qui imperio magistratus non, adiectum fuit, obtemperat: deinde ibidem sequitur lex qui in seruitute, cum qua incipit quarta illa membrana in florentino exemplari perperam compacta; sequi tamen debuerat lex quoties nihil, ut iam ostendimus, et reuera sequitur in editis libris ex RAYRELLI obseruatione emendatis. Iam vero quoniam et illud perspicuum erat, vocem paruit minime omnium conuenire extremis quartæ membranæ verbis, adeoque nec legi ad ea, in cuius fine habetur, hoc est unusquisque pro ea parte, qua heres est, scriptum fuit, hoc est ut unusquisque pro ea parte qua heres est, adiectumque ab aliquibus rō conveniat, atque, ut in fine ipsius legis animaduertit ACCVRSIUS, legebatur ab aliis, condemnatur, ab aliis, partiatur. Quam lectionum varietatem, et inconstiam quisquis recte animaduenterit, ex eo ortam fuisse, quod locum illum librarii; vel correctores librorum de suo emendare studuerunt.

Errorem alium, qui e florentino libro in certis omnes irrepserat, animaduertit ANT. AVGUSTINVS emend. lib. I. cap. I. Etenim libro XXXVII. pandectarum post titulum de dotis collatione, qui VII. est eiusdem libri, descripsérat librarius titulum de ventre in possessionem mittendo, deinde titulum de coniungendis cum emancipato liberis eius, qui inter eos medius esse debuerat; sed ut præposterus ille ordo corrigetur,

geretur, in margine hæc verba adscripta fuerunt ad titulum *de ventre in possessionem mittendo*, ἔτος ὁ τίτλος μετὰ τὸν ἐξῆς ἐσίν : hic titulus post sequentem est. Et sane id exigit ordinis ratio secundum edictum perpetuum a Triboniano in pandectis plerunque seruata. VLPIANVS enim libro XXXI. ad edictum ait, sicuti liberorum eorum, qui iam in rebus humanis sunt, curam prætor habuit: ita etiam eos, qui nondum nati sunt, propter spem nascendi non neglexit: nam et hac parte edicti eos tuitus est, dum ventrem mittit in possessionem vice contra tabulas bonorum possessionis, l. i. in princ. D. de ventre in poss. mitt. Idem VLPIANVS libro XXX. ad edictum egerat de coniungendis cum emancipato liberis eius, ut coniicitur ex inscriptione legis i. D. de coniung. cum emanc. lib. eius. Itaque librarii cum adnotationem illam in margine adscriptam non perciperent; vel negligenter, eos titulos descriperunt eodem plane ordine, quem in florentino exemplari deprehenderant, nulla adnotationis illius ratione habita: in omnibus idcirco usque ad ANT. AVGVSTINV M libris, post titulum *de dotis collatione* perperam scriptus est titulus *de ventre in possessionem mittendo*. Alios quoque id genus errores e florentino in certa omnia exemplaria decruatos animaduertit doctissimus idem vir emend. lib. III. cap. 1. et 3. Confirmari præterea ipsa sententia poterit ex iis, quæ adferenda iam sunt, ut argumentis eo-

D 3

rum

rum occurratur, qui negant omnia pandectarum, quæ supersunt, exempla e florentinis libris profluxisse.

CAPVT VIII.

Obiectio prima aduersus Taurelli et Augustini sententiam diluitur. Coniecturæ duæ refelluntur, quarum altera a cl. Donato Astensi; altera a cl. Grandio adfertur, ad eludendam vim argumenti ducti ex male compactis in flor. exemplari membranis.

Ac primo illud obstat, quod ex ea chartarum traiectione haud plane confici videatur, quodlibet exemplum pandectarum totum et integrum a principio ad finem ex florentinis libris esse descriptum; sed eas tantummodo chartas, in quibus compingendis erratum est. Sane **DONATVS ASTENSIS** in præclarissimo opere inscripto *dell' uso, e dell' autorità della ragion ciuale lib. II. cap. 3. p. 43.* existimat, postremas illas chartas in pandectis vulgaribus multo tempore et vsu adritas tandem periisse ac deinde restitutas esse ex pisano exemplari, quod ceteris præstare credebatur; quum autem præpostere in eo compactæ illæ essent, inde factum, ut in vulgaribus quoque ordo peruerteretur. Quam profecto coniecturam vel ex eo inanem dixerim, quod non errorem illum tantummodo; sed et plures alios ex pisano exemplari in vulgares homines libros fuisse

se deriuatos deprehendi facile potest. Nam pritor non perceptam græcam illam adnotationem, de qua superius dixi, vnde titulus *de coniung. cum emanc. lib. eius* non suo loco descriptus est, etiam lib. xxxxi. digestorum verba hæc *pro soluto*, quæ in florentini libri margine adscripta sunt, occasionem librariis præbuerunt, ut ex iis rubricam *pro soluto* conficerent, quæ in omnibus quidem libris exstat; eam tamen delendam esse, licet id negat DIONYS. GOTHOFREDVS ad l. *pro soluto* 46. D. *de usurp. et usucaptionib.* argumento illud est, quod nec in secunda; nec in vltima eius tituli lege, soluti mentio fiat; ideo quatuor leges, quæ vulgo sub rubrica *pro soluto* scribi solent, ad tit. *de usurp. et usucaptionib.* pertinent, ut recte coniicit ANT. AVGSTINVS *emend.* lib. III. c. 1. qui tum eodem capite, tum III. capite eiusdem libri similia adfert, quæ mirifice comprobant, ceteros pandectarum libros originem e florentinis duxisse. Huc accedit argumentum, quod etiam desumi potest ex lacunis, quæ in florentino exemplari habentur post tit. *de bonis damnator.* et post tit. *de interdictis et releg.* ut superius dictum est cap. III. quæ non nisi ex basilicis repleri potuerunt, quum leges, quæ in iis locis desiderantur, absint quoque a vulgaribus omnibus siue manu exaratis; siue impressis. Quæ quidem omnia aperte demonstrant, nullius momenti esse doctissimi ASTEN-

D 4

SIS



sts coniecturam existimantis, postremas tantum pandectarum paginas e florentino Ms. esse descriptas; nisi forte quis existimare velit, ea tantum loca ex ipso descripta fuisse, in quibus vel erratum de eo est; vel aliquid ibi desideratur, quod quam *ατοπον* dicta sit, nemo non videt. Quod si quis forte cum cl. GRANDIO in *notis ad epist. de pandect. num. 29.* putaret, pleraque vetusta exemplaria non quidem descripta ex insigni in illo codice, qui florentinus nunc appellatur; sed hac in parte a veteribus iurisconsultis iuxta pisanam litteram correcta fuisse, consulo redactis in alium ordinem iis legibus, ut cum pisano codice conuenirent, haud facile nos in suam sententiam duceret, quum probabile non videatur, adeo sollicitos fuisse veteres illos interpretes de corrigendo iuxta litteram pisanam hoc solo titulo *de regulis iuris*, ut nullum reperiri possit exemplum, quod hac, si diis placet, correctione non careat; alios vero titulos pandectarum; seu leges in iis comprehensas, in quibus multæ magnique momenti variæ lectiones reperiuntur, nullam corrigendi curam habuisse.

CA-

CAPVT X.

*Antonii Contii conjectura quædam improbatur
Digestum vetus et nouum Bononiam allatum
antequam pandectarum insigne illud exemplar
Pisii existaret. Ostenditur etiam partem ali-
quam, quæ antecedit legem quærebatur 81.
D. ad L. falcid. e florentino exemplari
fuisse descriptam.*

MAIOREM; quam DONATVS ASTENSIS,
digestorum partem e florentinis libris du-
xisse originem, arbitratus erat ANT. CONTIVS,
qui in præfatione ante suam pandectarum edi-
tionem putauit, eam solum partem, quæ reli-
qua est post legem quærebatur 81. D. ad l. falcid.
ab iis verbis, tres partes, ex florentino codice
esse descriptam. Sententia suæ rationem vnam
attulit ex adpellatione digesti veteris, infortiati,
et noui: nempe *vetus*, inquit, *dictum quia ab
omni vetustate haberetur; infortiatum, quia ve-
teri accrescendo totum opus amplius et fortius redi-
didisset, ut ipse barbaræ appellacionis sonus indi-
cat; nouum vero quod nouissime Pisii descriptum esset.*
Verum rationi huic maxime refragari historia ip-
sa videtur; etenim Odofredus iurisprudentiam
Bononiae docuit, ante annum æræ dionysiace
CICCLXV. quo quidem anno eum obiisse tra-
dunt SELDENVS differt. ad Fletam cap. VII. n. 4. et
GRAVINA orig. iur. lib. I. cap. 156. Hæc autem scrip-
tit ODOFREDVS idem ad l. quærebatur D. ad l. falcid.

D 5

post-

postmodum fuit translatum, nempe studium iurisprudentiae, ad ciuitatem istam, Bononiam scilicet, cum libri fuerunt portati; fuerunt portati hi libri, codex, digestum *vetus*, et *nouum*, et *institutiones*: postea fuit inuentum in sortiatum sine tribus partibus; postea fuerunt portati tres libri, et ultimo liber authenticorum inuentus est. Quæ si vera sunt, (quemadmodum evidens nulla ratio vrget, quæ iis denegandam esse fidem suadeat, dummodo recte intelligentur de libris tantum, qui Bononiam translati fuerunt quie Bononiæ inuenti, quum aliis in locis paterent) atque adeo si Bononiam adlatam simul fuerunt digestum *vetus* et *nouum*, profecto censendum erit, digestum *nouum* Bononiam adlatum fuisse; antequam Pisces describi posset. Quippe digestum *vetus* et *nouum* Bononiæ habebantur saltem anno CIOCI. postquam enim PEPONI quidam priuata auctoritate Bononiæ ius ciuile docuisset, vt idem ODOFREDVS tradit ad l. *ius ciuile* D. *de iust.* et *iure*, IRNERIVS; sive WARNERVS, aut GVARNEKIVS anno CIOCI. pandectas Bononiæ interpretari coepit, vt præter SIGONIVM in argumento hist. bononiens. anno CIOCI. etiam DONATVS ASTENSIS refert lib. I. cap. 4. pag. 67. et lib. II. cap. 7. pag. 166. qui eundem a. CIOCXXX. vita excessisse coniicit lib. II. pag. 5. pag. III. Imo vero etiam multo ante a. CIOCI. digestum *nouum* Bononiæ exstitisse videatur: etiam a. CIOXXXII ut apud cl. GRANDIVM

DIVM in epist. de pandectis §. 12. et not. 13.
 et in opere cui titulus *Nuova dissimina parte 4.*
cap. 8. n. 7. pag. 345. ROBERTVS DE MONTE
 refert, *Lanfrancus papiensis et Garnerius*
(quem ab IRNERIO diuersum probat idem
GRANDIVS denota 13.) socius eius, repertis
apud Bononiam legibus romanis, quas Iustinianus
imperator romanorum anno ab incarnatione do-
mini DXXX. abbreviatus emendauerat, his, in-
quam, repertis operam dederunt eas legere,
et aliis exponere. Neque cl. TANVCCIVS Ro-
 bertum ita scribentem falsi iudicandum esse vo-
 luit, epist. ad acad. etrusc. cap. 12. et in alio
 opere *difesa seconda dell'uso antico delle pan-*
dette lib. II. cap. 7. pag. 236. Si ergo Bononi-
 iam primum adlatus fuit codex vna cum di-
 gesto vetere et nouo, ut ait ODOFREDVS, con-
 sentaneum est, ut quod de LANFRANCI et
 GARNERII opera romanarum legum studio
 nauata scripsit ROBERTVS id etiam ad digestum
 nouum pertineat, illudque Bononiæ fuerit
 a. CIOXXXII. Pisis autem a. CIOCII. multoque
 minus a. CIOXXXII. non existabat insigne illud
 exemplar; nam siue communem sententiam
 sequamur, quam tuetur cl. TANVCCIVS, Amal-
 phi inuentum fuit, ad Pisas translatum anno
 CIOXXXV. æra communis, ut docet BRENC-
 MANNVS hist. pandect. lib. I. cap. 6. siue cl. GRAN-
 DII conjecturam probemus, Bononia Pisas dela-
 tum fuit BVLGARI Pisani opera circa a. CIOXXXX.
 quo IRNERIVS obiit, cuius discipulus fuerat idem

BVL-

BVLGARVS, quem IRNERIVS ipse os aurum
 nuncupauit, OTTONE MORENA teste in Chro-
 nic. laudens. a. CIOXXXLVIII. aut prope annum
 CIOXXXLVIII. quo BVLGARIUS erat in celebri
 conuentu apud Roncallias: siue demum illud Con-
 stantinopoli ABVRGVNDIO; seu BVRGVNDIONE
 Pisano Pisas delatum cum eodem GRANDIO
 existimare quis malit, id contigisse incertum erit
 a. CIOXXXXV. vel CIOCLXXII. utroque enim
 anno BVRGVNDIVS pro pisana reipublicæ lega-
 tionem obiit, primo ad Caloianum, deinde ad
 Emanuelem Comnenum imperatores. Quum
 ergo tertium digestorum volumen Bononiæ exstan-
 ret, atque ut coniicitur, digesti noui adpellatio-
 ne designaretur; antequam præstantissimum
 illud pandectarum exemplar pisani haberent, per-
 permane idcirco ait CONTIVS nouum dictum fuisse,
 quod nouissime Pisis descriptum esset: quin etiam
 verosimilius existimari potest, nouum ex eo
 dictum, quod a titulo *de noui operis nunciatio-*
ne incipiat. Verum et hoc incertum, quemad-
 modum et incerta omnino est infortiati etymo-
 logia, de qua vel ipso ACCVRSI ET ODOFREDI
 æuo disputabatur, ut ex ACCVRSI verbis liquet
 ad rubr. D. sol. matr. et ex ODOFREDO ad
 rubr. in fort. col. 1. Quamuis autem ALCIA-
 TVS lib. IIII. parerg. cap. 25. FERANDVS AD-
 DVENSIS, explicat. lib. I. cap. 23. DIONYSIVS
 GOTHOFREDVS ad tit. D. sol. matr. FABRICIVS
 biblioth. lat. lib. IIII. cap. 10. alii quoque alias
 adferant coniecturas; nihil tamen, quod certum
 sit,

sit, statuere licet, adeo ut LUDOVICVS ROMA-
 NVS ad rubr. D. sol. matr. recte scripserit, id
 nomen ab illo interprete pro arbitrio suo absque insta-
 ratione impositum fuisse, quod continuo vñ recep-
 tum ad nos manauit, et ALCIATVS idem in pro-
 emio lib. I. dispunct. censuerit, barbaram hanc
 esse vocem nullius sensus ab indocto aliquo litté-
 ratore primum factam, quam deinde alii æque
 indociles sequuti sint. Ex quibus omnibus fa-
 cile percipi deprehendique potest, ihanem esse
 CONTI rationem ab etymologia digesti veteris,
 infortiati et noui deductam. Neque momen-
 ti aliquid adferre potest, quod idem CONTIVS
 a plerisque viris fide dignis audiuisse testatur,
Rome in Vaticana bibliotheca extare duo tantum
illa volumina, vetus et infortiatum; etenim ex
 eo, quod alicubi duæ operis alicuius partes ha-
 beantur, non statim conficitur, tertiam partem
 nouissime, ac multo post ceteras esse descriptam,
 quum plures esse causæ potuerint, ob quas tertia
 illa pars ibidem non extet. Hodie tamen di-
 gesti noui exempla aliquot in vaticana biblioth-
 ea habentur, BRENCMANNO teste lib. III. cap. 3.
 pag. 253. et cap. 5. pag. 278. quum plures ex
 aliis bibliothecis codices illuc obuenierint.
 Iam vero et quod CONTIVS putat, reliquam
 tantum infortiati partem a l. querebatur s. l. v.
 tres partes D. ad L. falc. ex florentino exem-
 plari descriptam esse, vel ex eo refellitur, quod
 quum

quum librarius in eodem describeret leges ipsius tituli ad *l. falcidiam*, oblitus erat legis in *falcidia* 42. eamque ideo alius eiusdem temporis scriptor in libri margine nota obeli adiecta scripsit, quam notam quum deinde librarii neglexissent, factum idcirco, ut in vulgaribus libris ea lex in *falcidia* perperam scripta sit post legem *falcidia interuenire*, quum describenda superius esset post legem *dolo* 41. Ita lex *serui*, quae in vulgaribus est 42. debuerat 43. loco describi, et lex *falcidia interuenire* non quadragesima tertia, ut in vulgaribus; sed quadragesima quarta esse debuerat, quem errorem ex florentinis libris manasse animaduertit ANT. AVGUSTINVS lib. III. Emend. cap. I. ex quibus hactenus expositis verisimile admodum videri potest, non eam tantum partem, quae sequitur legem *Quarebatur*; sed et quae ipsam antecedit, ex florentino Ms. prodiisse.

CAPVT XI.

Impugnatur Abrahami Wielingii ratio, qua Taurelliani argumenti vim eludere conatur.

NEQUE solum ANT. CONTIVS et DONATVS ASTENSIS argumentum illud ab inuerso ultimarum chartarum ordine deductum diluere frustra conantur; sed etiam ABRAHAMVS WIELINGIVS in academia franequerana iuris professor omnem lapidem mouet, ut illud posit refel-

refellere. Is enim in praefatione ante libros
duos lectionum iuris ciuilis hoc habet: Quan-
ta in aliis etiam scriptoribus, quos haud inte-
gris possidentur, lectionum hodie varietas est?
quumque certissimum sit, ex uno sepe multo
omnes alios codices pariter multos prodiisse:
quis, quaso, illo dudum amissis, statuere au-
deat, ex decem forte, qui supersunt, vnum esse
prototypum, ex quo reliqui nouem, tanquam ex
fonte riuali deriuati fuerint. Exemplum vobis
Theophili paraphrasis suppeditat in omnibus hodie
Ms. α'νεΦαλος primo libri primi titulo destituta,
non solum Venetis; verum etiam Parisiensibus;
hinc certum quidem est, omnes illos ex uno pa-
riter capite minuto codices profluxisse; nemo au-
tem constare dixerit vnum ex superstitionibus, sive
Venetum; sive Gallicum, reliquorum principem
ac velut parentem esse. Hactenus WIELINGIVS.
Ac profecto esset obseruationis huiusce aliqua
vis, nisi luculentissime constaret, ipsum hoc
de quo agimus, florentinum exemplar, in quo
duae illæ chartæ perperam compactæ sunt,
occasione errori præbusse, qui in ceteris
omnibus libris deprehenditur. Verum pro-
culdubio manifestum illud in postremæ chartæ
principio vestigium vocis paruit, quod supra
commemorauimus, aperte declarat, librarium
penultimo loco membranam illam exarasse, quæ
nunc vitio eius, qui chartas illas compegit,
antepenultima est. Huic ergo tribuenda
communis erroris origo: hinc prima mali la-
bes.



bes. Præterea quum pro verbo *paruit*, quod recte visum fuit minime cohærere cum postremis verbis legis *ad ea*, alia exempla habeant *conveniatur*: alia *condemnetur*: alia *patiatur*: idque factum sit, ut hac emendatione postrema charta penultimæ perperam compactæ congrueret, vel ex hoc ipso percipi deprehendi que potest, non ex aliis codicibus; verum ex Florentino Ms. errorem principio exortum fuisse. Ita, si in peruetusto aliquo Theophilii ipsius exemplari primi tituli scripturam vel diuturno vsu; vel alia de causa evanuisse ad pareret; vel simile quidpiam indicium existaret, quo deprehenderetur, primum illum titulum ibidem descriptum olim fuisse, haud leui sane conjectura affirmari posset, codicem eiusmodi reliquorum principem ac veluti parentem esse. Existimat deinde cl. WIELINGIUS, forte ipsum id exemplar, quod in Italiam Iustinianus transmisit, eodem vitio laborasse, unde error in exempla ab Italis tunc descripta transierit. Sed quando erroris caussa in Florentino Ms. liquido apparet, cur nota in alio exemplari fingenda est? Iam vero Iustinianus pandectarum exemplar in Italiam misit multo ante annum chr. DCCCI. quemadmodum ipse WIELINGIUS fatetur et nos quoque inferius ostendemus cap. seq. florentinos autem libros post illud tempus descriptos fuisse Constantinopoli, optimis argumentis doctissimi viri iudicarunt: non potuit

potuit igitur florentinum, quod nunc adpella-
tur, exemplar ex eo, quod iam in Italiam per-
uenerat, Constantinoli describi. Vnde igitur
idem vitium in vtrumque codicem et ab impera-
tore in Italiam transmissum et postea Constan-
tinopoli descriptum irrepit? Num forte ex an-
tiquiori codice ortum putabimus? At quis um-
quam sibi facile suadere poterit, ex corrupto;
seu male compacto exemplari descriptum eum
codicem fuisse, quem Iustinianus Italiae proto-
typum destinabat; vel eum, qui ipsi corrigendo
operam dabat, adeo recordem fuisse, ut
ante penultimam chartam in hæc verba fine-
re: *imperio magistratus non*: interrupto plane
sensu, ordinemque adeo perturbatum esse non
animaduerterit? Quæ omnia doctissimi WIE-
LINGII coniecturam non esse probandam,
luculentissime, ni fallor, ostendunt.



E

CA-

CAPVT XII.

Oppositio altera remouetur ducta a digestis in vetus, infortiatum, et nouum distinctis; antequam pandectae Pisis exstantent. Vulgares pandectarum libros ex iis, qui nunc florentini dicuntur, Rauennæ fuisse descriptos, verisimile est. Quo tempore iustinianeum iuris σύνταγμα in Italiā aducctum. Exponitur caput xi. pragmaticæ sanctionis Iustiniani. Pandectarum exemplar, de quo agimus, Ravennam fortasse, dum exarchi ibidem præerant, adlatum.

IL VD præterea obiicitur a doctissimo viro DONATO ASTENSI, dell' uso, et autotità della ragion ciuale, libr. II. cap. 3. pag. 37. quod digesta diuidebantur in vetus, infortiatum et nouum; antequam pisanum exemplar Amalphi reperiretur, ex quo igitur vulgares pandectarum libri originem non duxerant. ASTENSI accedit cl. GRANDIVS in not. ad epist. de pand. num. 27. quem EVERARDVS OTTO in præfat. ante tom. 1. thes. iur pag. 42. ait, grauissimis argumentis rem nuper confecisse. Plures quidem rationes GRANDIVS adducit, quas inferius omnes expendemus, ac primum et ipse ad fert vetustissimam diuisionem pandectarum in digestum vetus, infortiatum, et nouum: deinde ex eo, quod per partes ius ciuale paulatim Bononiam adlatum sit, ut superius cap. x. ex ONOFREDO dictum est, negat ex florentino vulgata exempla-

exemplaria profluxisse, quia si verum id esset, rotum saltem pandectarum corpus et simul illatum foret, omnesque quinquaginta libros digestorum illustrare ex aequo antecessores illi potuissent. Idem quoque ASTENSIS libr. II. cap. 5 pag. 134. hoc docet: Dall' esserfi incomiciata da Irnerio l'esposizione delle pandette dattorno a. XXXIII. anni prima, che fosse da Pisani posta a saccomanno la città d' Amalfi, via più si conuince l' independenza delle volgare da quello, che Fiorentine s'appellano. Maximam denique huic argumento vim addunt, quæ cl. TANVCCIVS in epist. ad academicos etruscos S. v. pag 30. et seqq. e nella difesa II. l. II. cap. 1. pag 128. scriptis: GRATIANVM nempe non pisanius pandectis; sed vulgaribus usum esse, ideo, quoniam GRATIANVS decretum suum concinabat, ab anno CIOCXV. usque ad annum CIOCLI. recte inferri posse videtur, vulgares pandectarum libros in usu fuisse ante annum CIOCXV. quo pisanius exemplar Amalphi inuentum fuisse fertur, aut saltem ante annum CIOCLI. quo GRATIANVS decretum absoluit.

Fateor quidem diuisionem illam in digestum vetus, infortiatum et nouum antiquiorum esse anno CIOCXV. atque eamdem in usu fuisse; antequam præstantissimum illud pandectarum exemplar Pisis extaret. Neque vero probandum existimo FERRANDI ADDVENTIS sententiam, qui explic. lib. I. cap. 23. thes. iur. tom. II. col. 534. originem diuisionis in digestum ve-

ius et nouum ab iis dicit, qui leges in pande-
 ctas digestere, quod sane si verum esset, aliquod
 huiuscē diuisionis vestigium in constitutionibus
 iustinianae, in quibus diuisio pandectarum tra-
 ditur, haberemus: deinde censem post accusianos
 commentarios, quod duobus voluminibus con-
 tinebatur, in tres partes diuisum fuisse, ut
ACCVRSII ætate; vel paulo post infortiatu no-
 men secundo volumini inditum fuerit. Neque
 iis adsentendum puto, qui eam diuisionem vel
BVLGARO tribuunt, ut refert **HEINECCIVS**
bifl. iur. rom. §. 419. vel introductam existi-
 mant circa tempora **AZONIS**, ut est apud **BREN-**
MANNVM *bifl. pand. lib. III. cap. 2. pag. 229.*
 in qua sententia fuisse videtur **FABRICIVS**
biblioth. lat. lib. IV. cap. 10. His enim omni-
 bus ita sentientibus illud refragatur, quod ipsa
IRNERII ætate digestorum pars altera infortiatum
 appellabatur, ut constat ex **ODOFREDO** *in proœm.*
ad infortiatum, qui et in *proœmio ad dig. nouum*
 hæc scripsit: *vnde dicit dominus Guarnerius,*
quod ex libro isto fuit augmentatum ius nostrum,
ut dicitur de veste de lana infortiata, id est de
veste de lana augmenta. Neque illa ratio est,
 quæ nos in sententiam doctissimi **GRANDII**
 adducat, qui in opere inscripto *Nuova dis-*
mina etc. parte II. cap. 4. pag. 145. existimat,
 in laudatis **ODOFREDI** locis *Ir.* designasse
Ireum veterem interpretem bononiensem; non
 autem *Irnerium*; eum tamen, qui primam o-
 peram

peram ODOFREDI editionem curauit, Irne-
rium intellexisse, quod nomen quum ex
Guarnerio corruptum arbitraetur, Guarnerium
scribendum putasse. Quod enim ait cl. idem
vir, haud verisimile esse, ab ODOFREDO eum-
dem glossographum interdum vero Guarnerium
nuncupatum, id profecto non obstat; quo mi-
nus Irnerii; vel Guarnerii nomen retineamus,
quum varietas hæc librariis potius; quam ipsi
ODOFREDO tribui possit. Nec sibi contrarius
ideo est ODOFREDVS, quod in l. i. et in l. di-
uinitio in princ. Di sol. matr. ait, Rogerium pri-
mum infortiati glossatorem fuisse, et alibi,
nempe in laudatis procœmis, infortiati etymo-
logiam refert ab IRNERIO confictam, et ad l.
eius ciuile D. de iust. et iure, de IRNERIO sic lo-
quitur: fuit primus illuminator scientia nostre
et quia primus fuit, qui fecit glossas in libris no-
stris, vocamus eum lucernam iuris. Hæc enim
ita intelligenda esse videntur, ut IRNERIVS
quidem primus glossas conscripserit, ad codicem
et reliquas pandectarum partes; non vero ad
integrum infortiatum, ad quod nonnullæ tan-
tum ex IRNERIO glossæ referuntur ad D. sol.
matr. nec alias, quæ IRNERII sint, in infor-
tiato ipso licet reperiire, ut ASTENSIS ani-
maduertit libr. ii. cap. 3. pag. 40. et cap. 5.
pag. 112. ROGERIVS autem IRNERIO σύγχρονος,
idem ac VACARIUS, qui anno CIOXXXXVIII, in
Anglia leges romanæ docebat, ut obseruat S E L D E-

70 DISQUISITIO DE FLORENTINO

NVS *dissert.* ad *Flatum*, cap. vii. §. 4. et refert
ARTVRVS DVCK de *vſu*, et auct. iuris ciuil.
l. ii. cap. 8. §. 28. ad integrum infortiatum
glossas scripsit, ut merito primus infortiati
glossographus censeatur.

Verum eti; antequam Pisis haberetur per-
uetustum hoc pandectarum exemplar, diuisione illa
inoleuerit; verisimile tamen videtur, ceteros
digestorum libros ante eam diuisionem ex eo-
dem ipso exemplari, non quidem Pisis; sed
alibi in Italia, ac forte Rauennæ fuisse descrip-
tos. Ac me quidem non fugit illud, quod a
nonnullis traditum est de pandectis Rauennæ
repertis, plerosque sicutis fabulis accensere;
quod et fecit ANT. AVGUSTINVS *enend. libr.* l.
c. 1. et BRENCMANNVS *lib.* iii. cap. 2. pag. 238.
quorum primus laudato loco, quem superius
retuli cap. viii. etiam putauit, Pisanum fuisse
librarium, qui in postremis illis pandectarum
chartis compingendis rectum ordinem inuertit;
alter vero *lib.* i. cap. 9. pag. 51. Pisis descrip-
tos fuisse censet pandectarum libros Bononiam
delatos; ad hæc, eos ipsos, qui iustinianeos lib-
ros Rauennæ repertos tradunt, in maxima in-
constantia veritatis ignoratione versari, ani-
maduertit. *Quidam*, inquit laud. cap. ii.
BRENCMANNVS, *integra digesta*, *quidam par-*
tem *corum istic loci repartam perhibent*: *alii*
solum codicem iustinianum, *alii et codicem et*
digesta: *quidam denique ipsum exemplar floren-*
tinum

tinum olim Rauenna Amalphin peruenisse putant,
et inde Pisas. Tentandum nihilominus, quid
adsequi coniecturis liceat, videndumque, an
 $\pi\tau\vartheta\alpha\eta\omega\nu$ esse possit, florentinos, de quibus agi-
mus, libros olim Rauennæ exstisse ibidemque
ex iis exempla descripta esse. Enimvero non ut
solent ii, qui nihil tam verentur, quam ne tu-
bitare aliqua de re videantur, coniecturas
fidenter adferam; sed quod $\epsilon\kappa\alpha\sigma\eta\omega\nu$ videri pos-
sit, proposuisse contentus, doctissimis viris,
qui forte in aliquem eorum temporum scripto-
rem hac de re tractantem inciderint, veritatis
inuentæ gloriam vltro concedam, atque adeo
in hac disputatione exemplum quodammodo
sequar Platonis, quem ferunt, ut est apud
LAERTIVM in *Pyrrhone*, verum quidem diis,
et deorum filiis relinquere; rationem autem
verisimilem querere: καὶ Πλάτωνα τὸ μὲν
αἰληθὲς Θεοῖς τε, καὶ Θεῶν παισιν ἐπιχωρεῖν, τὸν
δι εἰκότα λόγου ζητεῖν. Nullus quidem scriptor
σύγχρονος, quem mihi hactenus reperiisse
contigerit, aperte tradidit, qua ætate insigne
hoc exemplar Constantinopoli aduectum in Ita-
liam fuerit, vel vbinam gentium illud exstiterit;
antequam fuisse Amalphin; vel Pisas delatum:
solis igitur coniecturis locus relinquitur, quip-
pe de ea re agitur, quæ sine illis expediri non
potest.

Atque ut ab ipsis usque principiis rem to-
tam repetam, imp. Iustinianus jam anno æræ

E 4

Dio-

Dionysiacæ 100. in Italiam miserat pandectas, institutiones, et codicem, ut ex ipsius pragmatica sanctione colligitur, quæ in aliquibus editionibus iuris ciuilis post epitomen nouellarum **IVLIANI** patricii et antecessoris: in aliis post nouellas Iustini, habetur, data an. **XIII.** post consularum Basili, ideoque ipso anno **10LIII.** obiter vero, ηγι ὡς ἐν παρόδῳ emendandum est doctissimi viri **DONATI ASTENSIS** μυημονικὸν αὐτοτυπα, qui lib. II. cap. I. pag. 8. eam constitutionem promulgatam ait a.d. **10LXIII.** et iustiniane imperii **XXXVII.** Libet enim animaduertere, eam conditam fuisse pro petitione *Vigilius venerabilis antiquioris Romæ episcopi*, vt ibidem Iustinianus ait in principio, quemadmodum et alibi ad suggestionem, hoc est ad petitionem, consultationem; siue, ut est in Basilicis, *ἀναΦοράν*, videlicet relationem aliquorum, veluti aduocatorum fori præfecti prætorio Illyrici rescripsit, ut in *I. vlt. C. de verb. Sign.* Vigilius autem vita excessit Syracusis III. id. Ianuarii anno **10LV.** ideo condita non videtur pragmatica illa sanctio anno **10LXIII.** Præterea annus **XIII.** post consulatum Basili incidunt in annum **10LIII.** vt recte *CONTIVS* in *chronologia*, et **PETRVS RELANDVS** in *fastis consulibus*. Itaque in ea pragmatica sanctione hæc habet Iustinianus cap. XI. *iura insuper, vel leges codicibus nostris insertas, quas iam sub edictali programmate in Italianam dudum misimus, obtinere*

san-

sancimus; sed et eas, quas postea promulgauimus, constitutiones iubemus sub edictali propositione vulgari ex eo tempore, quo sub edictali programmate uulgatae fuerint, etiam per partes Italie obtainere, ut una, deo volente, facta republica, legum etiam nostrarum ubique prolatetur auctoritas. Ea vero Iustiniani cura, qua voluit leges sua auctoritate collectas ubique vigere, luculenter ostendit iis verbis: *iura*; *vel leges codicibus nostris insertas*, pandectas quoque contineri. Sane et ipse Iustinianus; seu Tribonianus τὸν πανδέκτην codicis nomine saepe designauit in const. Deo auctore, siue l. i. C. de vet. iure enucl. §. hocce opere 2. §. sed neque 6. §. nulla 8. §. Ideo II. cum omnibus sequentib. et in const. Tanta, seu lib. 2. §. Contrarium 15. et §. Leges 23. C. eod. Ita et pandectas in laudata pragmatica sanctione procul dubio comprehendit, quum et plurali numero usus fuerit, quemadmodum in d. §. 11., ideo iubemus, inquit, duobus istis CODICIBVS omnia gubernari: uno constitutionum: altero iuris enucleati, et in futurum GODICEM compositi, item in d. §. 23. leges autem nostras, quæ in his CODICIBVS, id est, institutionum, seu elementorum, et digestorum vel pandectarum posuimus etc. Ex quibus patere arbitrör, Iustinianum etiam pandectas sub eodem edictali programmate in Italianam misisse. Est autem πρόγραμμα scriptura; siue edictum publico in loco propositum, ut ab

E 5

omni-



omnibus de plano legi possit. Solebant magistratus constitutiones principum programmatis per omnes populos diuulgare l. 3. C. de legib. quod etiam indicat subscriptio legis 25. C. th. de annona et tributis: in programmate Vari viri clarissimi vicarii urb. rom. Ita imp. HONORIVS, vt donatistarum, et maximea PETILIANI, qui catholicis exprobauerat, quod a principibus aduersis se auxilium petiissent, procaciam reprimere, iussit rescriptum Iuliani pro donatistis vna cum eorum precibus proposito programmatae celeberrimis in locis anteferri l. 37. C. ib. de hereticis. In nouella II. IVSTINIANI, quæ inscripta est HERMOGENI, magistro sacrorum officiorum, imperator in fine ait: τὰ τοίνυν παρεσάντα ἡμῖν ή ση̄ ὑπερέσοχη ἐργω̄ καὶ πέρατι παρεσάντα σπευσάτω, καὶ Φανερὰ πᾶσι διὰ περιγέμιμάτων οἰκείων ποιησάτω: antiqua versio habet: quæ igitur placuerunt nobis, tua sublimitas operi, effectuique tradere festinet, et manifesta vniuersis per programmata propria faciat. Proponebatur a magistratu constituto principis, et subiiciebatur edictum ipsius magistratus, vt docuit SIRMONDVS II. propemptici cap. 2. et pluribus exemplis confirmauit IAC. GOTHOFREDVS ad l. un. C. th si per obreptionem fuerint impetrata. Περιγέμιμα et περιθέματα non ideo dicebantur, quod præponerentur; sed quod palam præponerentur; iisque verbis lex proposita sub edicto, vt in nou. VAS

LENTI-

LENTINIANI de præscr. 30 annor. non ordo
 designatur; sed modus proponendi, ut sub
 idem sit, quod per edictum: seu certe animad-
 uertit SIRMONDVS A IAC. GOTHOFREDO
 laudatus d. l. Quod tamen Justinianus ait in
 ea pragmatica sanctione cap. II. quas iam sub e-
 dictali programmata in Italiam dudum missimus;
 id significare videtur non edictum magistratus,
 qui in Italia eas leges codicibus insertas in
 publicum proferret; sed ipsius imperatoris
 edictum, quo ipsa in Italiam mittebat, inbe-
 batque ibidem vulgari. An vero per partes
 transmissa in Italiam fuerint pandectarum volu-
 mina, ita, ut primum adlata fuerit ea pars, qua
 digestum vetus adpellata fuit, deinde cum altera
 ab amanuensibus absoluta esset, in Italiany
 aduecta infortiati nomine designata fuerit, de-
 niique adlatum digestum nouum, ut suspicatur
 cl. GRANDIVS in not. ad epist. de pand. n. 27.
 pag. 86. 87. certo definiri non potest; veri-
 similius tamen videtur, integrum pandectarum
 corpus sub uno programmata in Italiam missum
 a Justiniano fuisse, quum nulla satis idonea ad-
 feratur cauſa, cur priorem partem transmitte-
 re imperator voluerit; antequam sequentes
 descriptæ essent. Et codices quidem, quorum
 mentionem habet Justinianus in pragmatica
 illa sanctione, videlicet pandectæ, institu-
 tiones, et codex repetitæ prælectionis, ab eo
 missi in Italiam videntur anno 10 XXXVIII. vel
 paullo

paullo post eumdem illum annum, quo ~~SEL~~
~~SARIVS~~ Romam a Vitige Gothanorum rege ob-
 sessam liberauit. Nec forte a veritate aber-
 rauerit, qui putet, non solum Romam eos co-
 dices fuisse delatos; sed vel eos; vel eorum
 exempla etiam peruenisse Rauennam, quæ Iusti-
 piano parebat, et cumis Antistes ~~MAXIMIA-~~
~~NVS~~ eidem imperatori longe acceptissimus erat.
 Tanta vero subinde fuit eius principis in Rauen-
 nam benevolentia, ut Rauennati ecclesiæ Agnelli
 ætate, qui Maximiano successit, bona Gotho-
 rum Narsoris opera donauerit, et Rauennæ ip-
 sius pars tanquam perpetuum beneficiorum,
 quæ in eam ciuitatem Iustinianus contulerat,
 monumentum, ab illius patria, *Tauresum*,
 vt refert RVBEVS lib. III. in fine fuerit adpella-
 ta. Quis vero vñquam existimabit, eam ciu-
 tam, quæ fide officioque singulari erga Iusti-
 nianum præstabat: quæ ab ipso beneficiis cu-
 mulata fuit: quæ ipsius beneficiorum memo-
 riam seruavit, iustinianeis illis codicibus, atque
 adeo pandectis carere voluisse; vel imperato-
 rem illum, qui vt iuris a se promulgati auctor-
 itas vbique gentium valeret, vehementer op-
 tauerat, nullo modo prospexisse, vt in eam ip-
 sam urbem pandectæ peruenirent, et ex illis in
 ea ius redderetur? Profecto si quis est, qui in hanc
 opinionem prolabatur, frustra se aliis fidem factu-
 rum sperabit. Atque hæc ad Iustiniani ætatem, illi-
 que

que proximam pertinent: sequentibus deinde temporibus justiniænum ius Rauennæ viguisse argumento illud est, quod post annum 10 L X V I T. exarchi, qui Constantinopoli ab imperatore mittebantur, Rauennæ præfuerunt, donec Aistulphus Langobardorum rex eam occupauit, anno, VIANASTASIUS tradit 10 CCLII. siue 10 CCLI. vt colligit cl. MVRATORIVS Annali d' Italia anno 10 CCLII. Quum vero AISTVLPHVS Ticini iure iurando promisisset, se Rauennam restituirum; nec fidem liberasset, PIPINVS tandem anno 10 CCLV. Rauennæ exarchatum b. PETRO, sanctæque dei ecclesiæ et reipublicæ dono dedit, vt apud eumdem MVRATORIVM habetur ad annum 10 CCLV.

Quæ quum ita se habuerint, quid verisimilius excogitari vñquam posse videtur, quam illud ipsum, de quo agimus, vetustissimum pandectarum exemplar Constantinopoli, vnde exarchi ab imperatore mitti consueuerant, Rauennam delatum eo tempore fuisse, quo, quum ipsa græco imperatori paret, ibi certe ius ex iustinianis libris reddebatur? Id suspicatus est MARQVARDVS FREHERVS, qui in epistola ad RVDOLPHVM II. ante ius græco romanum Leunclavii ita scripsit: Pandectarum certe antiquissimum illud exemplar, quod si non Iustiniani estate (vt quidam putarunt) et ipsius Tribonianii prototypon, saltem non ita diu post in ipsa Græcia scriptum; siue in Byzantina; aut RAVENNATE bibliotheca

theba aliquandiu adseruatum; siue aliter Amalphin oppidum Apuliæ (perperam ut plerique alii Melphim urbem in confinio Apuliæ et Lucaniæ possum confundunt cum Amalphi, quæ ab oriente a Salerno septem fere millia passuum distat) peruerterit in eius urbis direptione inuentum etc. Et apud IACOBVM CAIMVM VTINENSEM lucubrat. iur. var. parte 1. cap. 1. num. 10. BOLOGNETVS considerat, quod secundum aliquos Rauennæ fuit inuentum totum corpus pandectarum, quod postea Pisis fuit custoditum. BRENCMANNVS quidem lib. 1. cap. 5. pag. 27. FREHERVM his verbis reprehendit: de Rauenna nil addam hoc loco, cum illud pandectarum exemplar, quod ibi a non nullis repertum creditur, ad Pisanum minime pertineat; et si cum eo confundere sagerit Freherus. Nihil tamen BRENCMANNVS adfert, quo aperte demonstretur, pisani exemplar Rauennæ nunquam existisse. Existimat sane lib. 1. cap. 4. pag. 23 propterea apud Amalphi iurisprudentiæ studio nonnulli inclarerunt, pluresque Amalphitanici Constantiopolis mercaturæ; aut forte etiam studiorum causa versabantur, exemplar illud Constantinopolis Amalphin delatum exemplumque adfert nobilis cuiusdam amalphitanici iuuenis, qui anno CIO LXXCVII. partem ligni salutiferæ et viuice crucis, ut ait LEO OSTIENSIS, de palatio constantinopolitanó abstulit atque in Italiam duxit. Quis hæc, puras putas coniecturas esse, non videt? At quanto probabilior rem

rem coniiciendi occasionem præbent non priuatorum studia, non peregrinationes mercaturæ caussa suscepitæ, non denique priuaræ amalphitanorum cum byzantinis consuetudines; verum publica nauandi operam iustinianeis legibus necessitas, publica expediendorum negotiorum caussarumque agendarum ratio, itinera demum a græcis hominibus Constantinopoli Rauennam iisdem legibus rauennates ciues regendi caussa sæpiissime confecta?

CAPVT XIII.

Iustinianum ius etiam post longobardorum regem Aistulphum Rauennæ floruisse coniicitur. Pandectarum exempla Rauennæ descripta et in diuersas partes diuisa, deinde Bononiam translata. Expenduntur quædam Accursii et Odofredi loca. Christ. Godofr. Hofmanni aliorumque argumenta nonnulla refutantur.

IAM si verisimile admodum est in eam vrbem, quæ græco parebat imperatori, in quam Constantinopoli mittebatur exarchi, in qua demum iustinianea iura vigebant, insigne illud exemplar, quod florentinum adpellamus, fuisse delatum, non erit quoque a veri specie alienum, iis vel sequentibus temporibus ex eodem complura exempla descripta fuisse. Haud enim quis facile in GRAVINÆ sententiam descenderit, qui origin. lib. 1. cap. 139 adfirmsat, iustinianum ius ab ipsa Rauenna excessisse, postquam



quam circa annum 1000 ab imperio romano per Aistulphum longobardorum regem fuit auulsa. Etenim ex Luitprandi, siue potius, ut animaduertit cl. MVRATORIVS *Annal. Ital. ad an. 1000*. Liutprandi legibus, qui regnum obtinerat anno 1000, aperte constat licuisse Italis *lege romanorum* vti, lib. 1. *legum longobard.* tit. 29. *lege 2.* siue, ut edidit MVRATORIVS lib. 6. *lege 37.* et lib. 11. tit. 7. *lege 1.* siue, ut MVRATORIVS habet, *lege 74.* Eam vero facultatem, Italis a Liutprando concessam, deinde sublatam iis fuisse ab AISTULPHO, nullius idonei scriptoris auctoritate, ab eloquentissimo GRAVINA comprobatur. Sane inter leges langobardorum plures habentur Aistulphi leges, in quibus nominatim de langobardis agitur iis verbis: *Si quis langobardus: vt in lege 4. tit. 4. lib. 1. leg. 28. tit. 14. lib. 2. leg. 3. tit. 18. d. l. lib. 2. leg. 4. tit. 20. leg. 9. tit. 34. leg. 11. tit. 35. leg. 18. tit. 56. eod. lib. leg. 1. tit. 10. lib. 3. iuxta Venetam edit. apud Iuntas CIOCLXXXII.* quasi ceteris origine italis eae leges latæ non essent; sed iis permisum Romana, hoc est, sua lege vti. Legis autem romanæ appellatione, et si persæpe codex alaricianus; seu breuiarium ANIANI intelligeretur, ut obseruat BALVZIUS in *notis ad capitul. tom. II. pag. 995.* et DV FRESNE *Glossar. med. et inf. latinis.* in v. *lex romana*, attamen ubi iustinianum ius in vsu erat, veluti in Italia, hoc ipsum designatum esse videtur, ceu quod ad

ad Iustiniani codicem et nouellas ostendit cl.
 VALSECHIVS, epist. de ver. pif. ciuil. constit.
 pag. 6. et seqq. cuius sententiam confirmat cl.
 GRANDIVS in notis ad epist. de pandectis n. 3.
 idemque de pandectis adfirmauerim, quorum ius
 Rauennæ intermortuum fuisse, nulla ratio suadet.
 Quum ergo pandectarum ius Rauennæ vigeret,
 quo tempore Aistulphus eam occupauit, quippe
 delati sub Iustiniano pandectæ fuerunt in
 Italiam atque, ut verisimile est, præsertim
 Rauennam, in quam Longinus ab imperatore
 Iustino exarchus anno 10LXVIII. missus est, aliquie
 postea a sequentibus imperatoribus; consentaneum
 videtur, adpellatione *legis romanæ*, qua
 langobardi italos viuere permittebant, ius quoque
 ipsum pandectarum contineri adeoque et
 Rauenna a langobardis capta, ibidem viguisse.

Rauenna deinde romano pontifici donata,
 iustinianei iuris vsum in ea sublatum fuisse,
 haud facile quis adfirmare poterit, quum et alibi
 ætate Caroli M. vigeret, ut probat ASTEN-
 SIS lib. 1 cap. 3. et capitulari ipsius Caroli *de*
caussis regni Italæ promulgato post a. 10CCLXXXVII.
 ut coniicit MVRATORIVS annal. Ital. ad annum
 10CCLXXXIII. quod BAL VZIVS edidit tom. 1. pag. 258.
 quemlibet secundam suam legem iudicari iubetur.
 Deinde Leo III. pontifex creatus a. 10CXXXXVII.
 vita functus a. 10CCCLIII. Lothario ita scripsit, ut
 est apud GRATIANVM in can. *Vestram*, dist. 10.:

F

vestram

vestram flagitamus clementiam, ut sicut hactenus
 romana lex viguit absque aduersis procellis et pro
 nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta;
 ita nunc suum robur propriumque vigorem obti-
 neat. LOTHARIVS vero lib. II. leg. lang. tit. 54.
 l. i. ita constituit: volumus, ut cunctus popu-
 lis romanus interrogetur, quali lege vult viuere,
 ut tali lege; quali lege viuere professi fuerint, vi-
 uant, illisque denuntietur, ut hoc unusquisque tam
 iudices; quam duces, vel reliquus populus sciat,
 quod si offensionem contra eamdem legem fecerint,
 eidem legi, qua profitentur viuere per dispensatio-
 nem pontificis, ac nostram subiacebunt. Pluri-
 mum quoque sequentibus temporibus Rauennæ
 in scholis et in foro valuisse iustinianei iuris
 auctoritatem ex B. PETRO DAMIANO colligi-
 tur, qui annum agens ætatis LXXXIII. ut suspicatur
 cl. HENSCHENIVS in commentario de B. Petro
 Damiano §. VI. num. 39. obiit anno CICLXXII.
 quemadmodum ex BERTHOLDO constantiensi
 in auctar. ad Hermannum contractum refert idem
 HENSCHENIVS §. VI. num. 38. his autem ver-
 bis B. PETRVS de parentelæ gratib. opusc. VIII.
 cap. 8. Rauennates IC. perstrinxit: ut, qui inter
 clientum turbas tenetis in gymnasio ferulam, non
 verecamini subire in ecclesiæ disciplinam. Et qui
 tanquam docti peroratis in tribunalibus causas etc.
 Idemque cap. III. ex vestris, inquit, projecto exe-
 dris munimen accipimus, quod vestris itidem iaculis
 opponamus. Vester namque Iustinianus postquam sex
 vndi-

vidique cognationum gradus enumerat, mox addit:
ex his, inquit, palam est intelligere quemadmodum
ulteriores gradus enumerare debeamus etc. Quæ
verba sunt ex §. hactenus 7. inst. tit. de gradib.
cognat. Neque vero, quum Iustiniani institutio-
nes Rauennæ obtinerent, existimandum videtur,
nullum ibi fuisse pandectarum usum, ad quos
Iustinianus prouocat §. rursus 5. inst. tit. de
actionib. et §. vlt. inst. tit. de publ. iud. Quum
ergo in ea ciuitate diu perstisset eiusmodi iuris
auctoritas: est profectio, cur a veritate abhorrere
non videatur, complura pandectarum exempla
ibi descripta esse, postquam cetera, quæ exsta-
bant, aut longo usu detrita essent; aut pluri-
bus scaterent mendis, quæ quum forte in anti-
quiora exempla irrepissent, in recentioribus
iterato descriptis maiorem in numerum, ceu
pleruinque fieri solet, excreuerant. Hinc fa-
ctum, ut qui sibi recte consultum vellent, non
ex certis libris; sed ex eo, qui ipsis præstabat,
et Constantinoli ab exarcho forte aliquo ad-
latum fuerat, noua sibi exempla; vel ex his
deinceps alia describerent. Et alii quidem in
duo volumina; alii vero in tria totum opus pro-
arbitrio tribuerunt; quæ posterior partitio, nempe
in digestum vetus, infortiatum et nouum, quam
minorem cuiusque voluminis molem præ se ferret,
commodioris usus gratia frequentius recepta est.
Ita etiam, quæ sequentibus temporibus descripta
fue.

fuerunt exempla, quædam duobus voluminibus constabant, quemadmodum et illud, de quo loquitur, ALCIATVS in prooemio dispu[n]ct. et simile aliud in Mediolanensi D. Marci bibliotheca, cuius ab eodem ALCIATO facta mentio est, libro III. paradox. cap. 13. quædam vero tribus voluminibus comprehendebantur. Vtramque pandectarum diuisionem vel in duos; vel in tres codices etiam s[ecundu]m s[ecundu]m xii. in usu fuisse, ostendit doctissimus TANVCCIVS in opere inscripto: *defesa seconda lib. I. cap. 7. pag. 68.* et *lib. II. cap. 1. pag. 129.* Rauenna autem Bononiæ primo digestorum vetus cum nouo translatum esse; deinde vero infortiatum, ideoque non ipsum ceterorum prototypum; sed, si quid coniecturis adsequi licet, ex eodem deriuata, exempla, ex ACCVRSI et ODOFREDI verbis colligimus. ACCVRSIVS enim; siue quis alias antiquus glossographus ad rubr. D. sol. matr. hæc habet: *quum Roma esset studium destructum et Bononiæ inoleret, eius recuperatione facta Rauennæ, cum esset amissum ius, est redditum forte; cum multa adsint, quæ deerant.* Quod ait de iure amisso, et forte reddito, id non de integris digestis; sed de infortiato tantum intelligendum procul dubio est; alias enim ex ea, qualiscumque sit, etymologia totum digestorum opus, infortiatum adpellari, significaretur, quod vel ab ipsa ACCVRSII sententia alienum est: ideo autem ius amissum fuisse, ab eo dictum videtur, quod infortiatum

tiatum priore illo tempore Bononiæ non exstebat, et amissum credebatur. BARTOLVS quidem ad eamdem rubr. hoc puto, inquit, *falsum*, nam hoc volumen pandectarum pis̄is. Verum ipsa hæc BARTOLI ratio, quidquid sit de vocis origine sentiendum, nullius momenti est: vtrumque enim potuit contigisse, et quod totum volumen pandectarum ab anno CIOCXXXV. Pis̄is extiterit et quod exempla digesti veteris tantum et noui Bononiam primo delata essent; deinde vero infortiatum illuc peruererit. ODOFREDVS autem ad l. ius civile D. de iust. et iure: quum studium, inquit, esset destructum Romæ, libri legales fuerunt deportati ad ciuitatem istam, nempe Bononiam: ODOFREDVS enim Bononiensis; siue, ut alii existimant, Beneuentanus Bononiæ iurisprudentiam docuit. Alter est ipsius ODOFREDI locus ad l. quærebatur D. ad l. falcid. quem, quoniam superius protuli cap. x. non est operæ pretium, hic resumere. Prius illud ODOFREDI testimonium eleuare nititur BRENCMANNVS, lib. III. cap. 2. pag. 236. qui ait, Romæ umquam floruisse studium iuris iustinianei, sibi non fieri probabile. Sed licet iustinianas leges quas in Italia et in romano orbe Iustinianus auctoritate præstare voluit, ut ex laudata pragmatice sanctione deprehenditur, Romæ etiam, postquam Narses anno IOIUII. eam tandem recepit, vires

Iuas explicuisse, verisimile admodum videatur; attamen fac ipsarum studium numquam Romæ floruisse: fac errasse in ea re ODOFREDVM et iuris iustinianei libros nunquam Roma Rauennam translatos, num falsum quoque erit, Rauenna eos delatos esse Bononiam? Si in historia temporis ab sua ætate maxime remoti hallucinatus est Odofredus, numquid ipsum et in ea re, quæ non tam longe adfuerat, turpiter errasse adfirmabimus? imo vero quod de huiusmodi libris, Rauenna Bononiam translatis, dixit, id potuit, quum iurisprudentiæ addiscendæ operam daret post annum CIOCC. (obiit enim anno CIOCCCLXV. ut scripsit SELDENVS *dissert. ad Flexam cap. vii. num. 4.* et GRAVINA *orig. lib. I. cap. 156.* aut paullo ante, ut constat ex eius epitaphio, quod refert IO. RICHARDVS *in vitis recentior. iurisconsultor. in Odofredo*) Bononiæ a præceptoribus suis accipere, quibus idem ab Irnerii; aut Bulgari auditoribus traditum esset. Quod multo etiam magis de Accurcio dicendum viderur, qui prope annum ætatis quadragesimum, hoc est, ut scripsit LVD. ROMANVS *in singularibus lit. N.* anno ætatis XXXVII. ad iuris studium se contulit, ideoque circa annum CIOCLXXXVIII. quippe anno CIOCCXXVIII. ætatis LXXVIII. vita excessit. Neque ACCURSIVM et ODOFREDVM, aut ipsorum magistros, ad quos nulla utilitas ex ea re perueniebat, eorum similes dixerim, ut apud ENNIVM, CICERONE teste *lib. I. de diuinit.* erat, qui sui questus

questus causa ficas fuscitant sententias. Addit
 præterea BRENCMANNVS laudato loco pag. 237.
 perisse sine dubio exemplaria, si qua fuerunt,
 per tot barbarorum incursiones, qui omne istic
 imperium tanto tempore occupauerunt, idem-
 que cum VIGLIO existimat, ante annum CICXXXV.
 ius ciuile in Italia nullo vel honore; vel vsu
 fuisse. Verum hæc facile possunt refelli, quum
 præter CIRONIVM et STRVVIVM *bif. iur.*
cap. v. §. 7. præclare ostenderit DONATVS
 ANTONIVS ASTENSIS in opere, cui titu-
 lis dell' uso è autorita della ragion ciuile, lib. II.
cap. 2. iuris iustinianei atque adeo pandecta-
 rum usum numquam fuisse in Italia inter mor-
 tuum. Quod vero idem BRENCMANNVS ad-
 uersus ODOFREDVM ait, constare, iurispruden-
 tiæ libros Pisis Bononiam delatos esse, vereor,
 ne nimis fidenter ab eo dictum sit, quum neque
 laudato superius loco; neque lib. I. cap. 9. cuius
 inscriptio id polliceri quodammodo videbatur,
 plane ostendat, vnde hoc aperte constare possit.
 Quin etiam verisimilius dixerim, Rauenna, vbi
 ius iustinianam vigebat, et vbi Irnerius stu-
 diis operam dederat, ut idem ODOFREDVS testa-
 tur in auth. *Qui res C. de sacros. eccl. n. 3.* exem-
 plar aliquod pandectarum Bononiam adlatum
 fuisse vel ipsius Irnerii; vel Peponis ætate. Neque
 ex eo, quod Pisanorum librarum ODOFREDVS
 nusquam meminerit, manifestum esse cum BRENC-
 MANNO existimauerim, ignorasse illum pande-
 ctarum

etarum historiam et pro ea aliam, quæ ipsi maxime probabilis erat, confinxisse: quippe non pisani exemplaris historiam contexere; sed illud solum, quomodo libri legales Bononiam peruenissent, narrare, ipsi consilium erat: et fortasse religio eidem fuit, variantes lectiones ex eo codice adferre, quem nunquam inspexerit; nec quando ACCVRSI^T ætate, post cuius obitum XXXVI. annos superstes fuit ODOFREDVS littera pisana celebrabatur, mihi temere putandum videtur, eumdem ita fuisse imperitum, ut prorsus nesciret, Pisis tam insigne exemplar extare. Quam vero ipsi obiicit BRENCMANNVS d. pag. 237. *aviso ptoicav.*, propterea quod reges Apuliæ quosdam confundit cum regibus langobardorum minime crediderim quidquam de ODOFREDI fide et auctoritate detrahere in eo, quod ait, libros legales Rauenna Bononiam translatos esse. Qui in re aliqua errauerit, haud statim in omnibus eum errasse putandum est. Ita nec ipsius BRENCMANNI in ceteris, quæ egregie tradit in eximia illa pandectarum historia, fidem et auctoritatem ideo quisquam, puto, conuellet, quod lib. I. cap. 9. constare ait, Pisis ciuilem prudentiam integro seculo XII. friguisse, nec vlliis in iure dicundo vsus, auctoritatisque fuisse: quamuis hoc falsum esse cl. GRANDIVS in epist. ad Averan. et cl. VALSECHIVS in epist. de veterib. pif. ciuit. const. præclarissime ostenderint. Tandem BRENCMANNVS eodem lib. III.

lib. III. cap. 2. pag. 238. PANCIROLLVM veluti
in subsidium aduocat, qui de claris leg. interpr.
lib. II. cap. 3. ita scripsit: Odofredus vero hunc
librum Roma Rauennam, et inde Bononiam ad-
latum fuisse dicit ad l. ius ciuale D. de iust. et
iure: quod nulla auctoritate comprobatur. Sed
argumentum, ex ceterorum scriptorum silentio
ductum, valde infirmum esse, doctissimi viri saepe
iudicarunt: nulla fuisse videtur ODOFREDO men-
tiendi decipiendique caussa et voluntas: nihil
proponitur, quo eum in fraudem inductum
esse, ostendatur: demum narratio illa de pan-
dectis Rauenna Bononiam translatis nil habet,
quod cum eorum temporum historia, a ceteris
tradita, conuenire non possit; ipse enim de libris
legalibus, adeoque de pandectis quidem; sed
 $\alpha\pi\varrho\sigma\delta\vartheta\epsilon\varsigma$ loquitur, non autem de pisano
exemplari.

Itaque si, quod proximum vero videri
potest, Rauenna Bononiam delata fuerunt di-
gestorum exempla iam antea ex florentinis, ut
nunc adpellantur, libris descripta, sententiæ
nostræ de omnibus, quos habemus, digestis ex
eo exemplari deductis, nulla ratione illud aduer-
sabitur, quod ante annum CIOXXXV. diuisio in-
valuerit in dig. vetus, infortiatum et nouum,
nec quod GRATIANVS vulgaribus pandectis usus
fuerit, vtrumque enim exemplis antea Rauen-
nae descriptis, præstari facile potuit. Exinde
etiam patet, nullius roboris esse tum argumen-

tum illud a CHRIST. GODOFR. HOFMANNO
in hist. iur. romano iustiniace lib. II. cap. 2. §. 9.
ductum ex religione et reuerentia, qua codices
illi a Pisanis custodiebantur, quod et in men-
tem venit cl. GRANDIO, qui in not. ad epist.
de pand. num. 29. ita scripsit, nec vero summa,
qua (Etrusci libri) custodiri consueuerant, re-
ligio permittere poterat, ut cuilibet ad exscri-
bendum passim paterent; tum aliud, quod vel
HOFMANNVS ipse desumit ex epistolis, et de-
creto IVONIS Carnotensis, qui leges ex digestis
commemorauit, licet anno CICCXVI. obierit;
quippe et, antequam Pisis exemplar illud exsta-
ret, et ante ipsam IVONI'S æratem exempla ex
eo descripta fuisse, coniicitur. Quo etiam diffi-
cultas diligitur ab ASTENSI opposita lib. II.
cap. 3. pag. 41. vbi, si vulgares, inquit, pan-
dectaræ ex florentinis libris manassent, opus non
fuisset, eos fruſtillatim Bononiam deferre, prout
Rauennæ reperiebantur; sed integrum pan-
dectarum corpus delatum esset; nec distinctum
in dig. vetus, infortiatum et nouum, sicuti nec
florentini libri ita distincti sunt, qua ratione
etiam doctissimus GRANDIVS vtitur. Sed argu-
mentationis huiusc nulla vis est, quoniam di-
gesta prius descripta ex laudato exemplari, et in
tres illas partes distincta fuerunt; quam Bononiam
translata essent. Quoniam vero etiam in duo
tantum volumina, ut iam diximus, diuidi solebant,
fortasse quum primo Bononiam adlata fuerunt,
existi-

existimabatur duobus illis voluminibus, nempe digesto vetere et nouo integrum opus contineri, in quorum primo initium pandectarum: in altero finis conspiciebatur. Sed quum postea compertum esset, intermedios libros deesse, ac forte quis Rauennæ aut alibi in aliquod infortiati exemplar incidisset, quod desinebat *in legem quærebatur* 81. D. ad L. *falcid.* immo vero nec integra itidem ea lex extabat; sed solum usque ad versic. *tres partes*, hoc ipsum qualemcumque erat, Bononiam translatum fuit. Conquisiti postmodum et in eam ipsam ciuitatem adlati ceteri, qui in ipso infortiato habentur, posteriores libri. Atque haec, uti exposuimus, cum ACCVRSTI tum ODOFREDI in superius laudatis locis sententia videtur; ideo ACCVRSTVS ait, ius, hoc est, infortiatum redditum esse forte; ideo ODOFREDVS ita scripsit, *postea fuit invenitum infortiatum sine tribus partibus*: etenim postrema illa infortiati pars, quæ deerat, *trium partium* adpellatione designari coepit: *postea fuerunt portati tres libri*, ut ait idem ODOFREDVS, nempe liber pandectarum XXXVI. XXXVII. XXXVIII. Utitur ODOFREDVS rotundo, ut fieri plerumque solet, numero, quamuis præter illos libros, ad l. *quærebatur* supersit reliqua pars eiusdem tituli ad l. *falcidiam*, et integer, qui sequitur, titulus III. libri XXXV. Nec mirum esse debet, non fuisse eo tempore cuicunque et ubique obuios libros omnes

pan-

pandectarum, etenim ut videtur, plerumque ius reddebatur frequentius ex constitutionibus imperatorum, quæ in codice iustinianeo continentur; quam ex pandectis, utpote anterioribus, quamuis pandectarum usus et auctoritas in Italia minime sublata fuisset. At enim si florentinum, ut hodie illud adpellari mos est, exemplar Rauennæ fuit; si ex eo descripta ibidem exempla, quomodo illud tandem Rauenna Pisas peruenit? Sane quod fieri potuit, pluribus coniecturis licet suspicari, quod vere factum sit, in tanto scriptorum, qui coœui fuerunt, silentio, nil adfirmare meo periculo ausim. Rauenna Amalphini delatum fuisse antiquissimum illud exemplar, ut suspicari videtur FREHERVS in epist. ad Rudolph. II. ante ius græco-rom. Leunclavii, certo definiri non potest. Si Bulgarus, quem Pisanum fuisse pluribus contendit cl. GRANDIVS in not. ad ep. de pand. num. 28. patriæ suæ eximium hoc exemplar dono dedit, quæ ipsius GRANDII coniectura est in ep. de pand. §. 18. nil refragatur; quo minus recte existimari possit Rauenna Bononiam delatum esse non eo tempore, quo primum iuris ciuilis studium Bononiæ florere cœpit, siquidem pandectarum volumina per partes illuc adlata fuerunt, ut ODOFREDVS tradit; sed multo post opera forte alicuius antecessoris Bononiensis Rauennæ comparatum. Sed quando plura argumenta ostendunt, ex flo-

florentino exemplari quidquid veterum eiusmodi exemplorum superest profluxisse; ex eo, quod ignoratur, quomodo Rauenna Amalphin; aut Bononiam; aut Pisas demum peruerterit, nihil officitur ad subruenda ea, quæ pro TAVRELLI et AVGUSTINI sententia disputantur.

CAPVT XIII.

Oppositio ex variis lectionibus florentini exemplaris, aliorumque librorum defumta. Variæ lectiones imperitiæ librariorum tribuendæ: meliores interdum in florentinis; quam in ceteris pandectarum libris. Eius rei exempla quædam.

SENTENTIAE nostræ, quæ florentinum exemplar ceterorum, quæ supersunt, archetypum esse contendit, obiici etiam solet, variantes lectiones, quæ in vulgaribus pandectis habentur, haud raro quidem florentinis meliores, et quæ interdum supplent, quod iis deesse videtur: vulgares igitur, aliquique pandectarum libri non sunt e florentinis descripti; quo sane argumen-
to doctissimi plerique viri, contra TAVRELLI et AVGUSTINI sententiam vtuntur. Atque in pri-
mis CONTIVS ante suam pandect. edit. in fine hæc scripsit: *Huc accedat, quod in digestis veteribus et insortiatis manuscriptis quædam existent pleniora, et perfectiora; quam Florentiæ, ut in l. si duobus 40. de legat. 2 ipse quoque Taurillus fatetur, et verum est. Item ANTONIVS SCHVL-
TINGIVS in iurispr. antequist. in not. ad vit. Iulii Pauli*

Pauli pag. 208. Atque hæ ipsæ, inquit, lectionum varietates id euincunt, non omnes, codices e florentino manasse, et in enarr. part. i. digestor in proleg. n. 13. Multa in Baflicis, græcisque interpretibus, multa quoque in vulgata editione reperiuntur inde differentia ac sepe meliora. Etiam DONATVS ASTENSIS lib. II. cap. 3. pag. 44. et seqq. ideo negat vulgares pandectarum libros e florentinis esse descriptos, quod variae lectiones ac pluribus in locis meliores habeantur in vulgaribus; quam in florentinis pandectis. GRANDIVS quoque in not. ad epist. de pand. num. 27. ait: variant etiam subinde lectiones, et aliquando melior, et senior adparet vulgatarum sensus; quam florentinarum. Neque omittendus est ABRAHAMVS WIELINGIVS, a quo in presentatione ante libros duos lectionum iuris ciuilis, obiicitur plurimorum iuris capitum plenior, et accuratior; quam in etruscis lectio,

Quæ quum ita obiificantur, monet hic locus, ut de variis lectionibus, quæ in florentinis, aliisque pandectarum libris reperiuntur, paulisper differamus. Ac primo illud perspectum exploratumque est, librarios, et si optimo archetypo vterentur; saepem tamen in exemplis describendis vel ob imperitiam; vel ob incuriam errasse. Librariorum imperitia, qui græcam; aut latinam linguam perfecte non callebant, vel rem ipsam, de qua agebatur, ignorabant, occasionem saepenumero iis lectioni-

ctionibus præbère potuit, quæ in vulgaribus digestis diuersæ sunt a florentino exemplari. Cuius profectio rei quam plura suppetunt exempla; sed pauca quædam adferre, satis superque erit.

Quum in l. si pecuniam 33. D. de pign. act. ~~et vixen~~ vidissent librarii, et speciem pignoris ita dati, ut donec pecunia soluatur, creditor eo vtatur, vel fructus ex eo percipiat vice usurarum, ea voce significari nescirent, antiphonam imperite substituerunt, vnde antiquis interpretibus ad eum locum apinas et tricas comminiscendi occasio data. Præterea in l. quærebatur 20. D. qui pot. in pign. hab. vbi in pandectis florentinis legitur: hyperocham eius rei, que tibi pignori data esset; ac paulo post: pignoris hyperocha: librarii pro hyperocha scripserunt in vulgaribus hypothecam. Nimirum ignorabant, græcam hyperochæ vocem, cui parem latinam, qua idem proprie demonstraretur, vix inuenire licet, in eo loco designare id, quod plus est in pretio fundi; quam in credito prioris creditoris, ut, si prior creditor crēdiderit l. x. fundus autem sit l. xxx. fundi hyperocha est xx. et hæc posteriori obligata est, ut recte animaduertit CVIACIVS lib. III. obs. cap. 25. et ANT. FABER, de error. pragm. decade XXI. err. 10. Lex si plia 20. §. Neratius 7. D. fam. ercisc. perperam in vulgaribus est lex si uni: quum enim in pandectis florentinis ante ea verba: Si uni:

vni: legatur: *Papinianus ait:* librarius existimauit, id esse aliud caput; seu legem aliam distinctam a l. *Si filia;* in quo sane errauit, quoniam additum non fuisset in flor. exemplari τὸ ait. In ipso autem §. *Neratius* cum plura in vulgatis aliter, ac Florentiae leguntur, tum illud etiam, quod in florentino sic exstat: *nulla actione id consequi posse:* id vulgatis legitur: *nulla actione id consequi posse:* haud enim librarii animaduerterant, apud veteres em id esse ac eum: quod quum forte ignorarent, superuacaneum τὸ em esse putarunt: alii vero: *idem:* scripserunt, quoniam florentini exemplaris scriptura in singulis capitibus; siue legibus etsi contigua non sit; continua tamen sine ylla distinctione est, nempe litterae ibidem non sunt simul colligatae et connexae; verum inter dictio-
nem vnam et alteram, quemadmodum et in antiquis aliis codicibus, nullum relinquitur maius interuallum, nulla maior distinctio, ut saepe minus attento, minusue exercitato difficile sit, verbum a verbo dirimere. Hinc factum, ut ex duobus illis verbis *id* et *em* librarii quidam vnum conficerent.

CA-

CAPVT XV.

*Lectiones aliae indicantur, in quibus etsi
descitum constet a florentino exemplari; haud
tamen coniici ex iis potest, vulgares
aliosque pandectarum libros ex illo
non profluxisse.*

QVAM QVAM et adducta superiori capite ex-
empla sententiæ nostræ non refragentur:
immo vero eam magis confirmant; alia tamen
addere ex iis, quæ multa possent adferri, non
erit, puto, superuacaneum. In *I. ex imperfe-
cto 23. D. de legat. 3.* Florentiæ ita scriptum
est: *decet enim tantæ maiestati eas seruare leges,*
quibus ipse solutus esse videtur. Existimant libra-
rii, siue correctores mendum inesse in iis ver-
bis: *ipse solutus:* hæc enim tantæ maiestati quod
ad genus non conueniunt; ideo in vulgaribus
scriptum est: *ipsa soluta.* Verum non animad-
uerterunt, apud veteres et elegantes scripto-
res genus interdum mutari, ac relationem fieri
potius ad antecedentium verborum sensum;
quam ad verba, quibus is sensus continetur.
Hanc ipsam loquendi rationem, siue ἐναλλαγὴ
quædam ea sit, a græcis magistris ἐτεωστις,
vel ἀλλοίωσις nuncupata; siue, vt verisimili-
us videtur, ἐλειψία eam esse dicamus, quo-
niā intelligitur ibi princeps; aut imperator,
in pluribus auctoribus deprehendit AVSON.
POPMA de iſu antiquæ loquutionis lib. II.
cap. 2. et in romanis quoque iurisconsultis

G

NO-



NOOTIUS obs. lib. I. cap. 4. in fine præcipue vero apud VLPIANVM in l. pronuntiatio 195. §. familie 2. D. de verb. sign. cum pater familias moritur, quotquot CAPITA ei SVBIECTA fuerint, singulas familias incipiunt habere: SINGVLI enim patrum familiarum nomen subeunt, ubi intelligendi sunt homines, ut nemo non videt. VLPIANVS idem in l. I. in princ. D. de pactis: Huius, inquit, edicti æquitas naturalis est: quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt seruare? Ita editum est in florentinis pandectis: vulgata quoque digesta habent inter eos; neque opus est emendatione ELBERTI LEONINI lib. I. emendat. cap. 16. n. 1. qui ex antiquo MS. reponit: Quid enim magis humanæ fidei est congruum, quam ea obseruari, quæ inter homines placuerunt.

Addam et varias quasdam lectiones: in digestorum procœmio, siue const. omnem §. illud vero satis 9. Florentiae ita legitur: et toto postero transmittimus seculo: quum oportet prius animas, et postea linguis fieri eruditos. Haec a semidocbris librariis; vel correctoribus, qui in florentina scriptura scribilibinem inesse purabant, ita in vulgaribus scripta sunt: et toti postero transmittimus seculo, quum oporteat prius animas, et postea linguis fieri eruditas. Sed nulla opus erat emendatione; veteres enim, quemadmodum in secundo casu toti dixerunt; ita etiam toto in tertio casu. CELSVS lib. III. cap. 12. commodissimum est

est inter initia calida cataplasmata toto ventri imponere, ut dolorem leniant: quamuis in aliquibus editionibus legatur toti. Certe olim, ut obseruant grammaticorum filii, adiectua quaedam, quæ genitium in *ius*, datiuum in *i* habent, analogice ad normam secundæ declinationis in omni genere inflectabantur, veluti, *vllus*, *alius*, *totus* etc. quibus secundus casus in *i*, vel *æ* desinebat. **T E R E N T I V S** in *Andr.* act. III. sc. 5. Quandoquidem tam iners tam nulli consilii sum. **C I C E R O** lib. II. de diuinat. aliae pecudis iecur: datiuus autem in *o*, vel *æ*. Ita apud auct. *ad Herenn.* legitur lib. III. non res totæ rei necesse est, similis sit. Nec mirum esse debet, rationem loquendi priscis visitataim a Triboniano quoque esse interdum adhibitam; constat enim, scriptores etiam inferiore æuo, et prolapsa iam latinitate *ἀρχαῖσματα* aliquando usurpare. Triboniano leges XII. tabularum antiquissimis dicendi generibus refertissimæ, quæ apud **G A I I** commentarios habebantur, antiquarum præterea legum et senatusconsultorum fragmenta, item **P A P I N I A N I** opera, cui priscis vti verbis amicum fuit, perspectissima erant. Quid? quod in ipsis florentinis pandectis plura antiquorum more conscripta sunt, exempli causa, pluralis nominum tertiae declinationis accusatiuus non semel in is effertur, quod et animaduertit emin. **N O R I S I V S** cen. pis. diff. III. cap. 3. Plura etiam in pandectis vestigia antiquitatis ostendit **A N T.**

G 2

AV.

AUGVSTINVS emendat. lib. II. cap. 2. Sed ut ad superius adlata constitutionis iustinianæ verba reuertamur, nec vbi scriptum est: *eum oportet*: emendanda erat florentina scriptura, siquidem et hanc loquendi rationem apud probatissimos auctores inuenire est, a quibus coniunctio illa cum, hoc est *quia*, seu *quandoquidem* indicatio iungitur: **TERENTIVS** in *Andria* act. III. sc. 2.

--- quandoquidem ipse est ingenio bono,
Cumque huic veritus est optumæ adolescen-
ti facere iniuriam.

CICERO ad familiares: *tibi maximas gratias ago,*
quum tantum meæ litteræ potuerunt. Neque illud quoque temere mutandum erat: *prius animas,*
et postea linguas fieri eruditos: quis enim ignorat ibi intelligentiam esse præpositionem *natura*, quem admodum et apud **VIRGILIVM** *Aen. lib. I. v. 717.*
similis deo os, humerosque? Integra igitur loquutio erit: *cum oportet prius natura secundum ani-*
mas, et postea natura linguas fieri eruditos, nempe eos homines, qui legitima peragunt studia: ut superius Tribonianus dixerat. Itaque dum librarii vel correctores in vulgaribus digestis describendis corrigendisque eum locum, si diis placet, emendare studuerunt, reprehensionem quodammodo subiisse videntur, qua d. **HIERONY-**
MVS in epist. ad *Lucinium* tom. IIII. p. 2. col. 578.
notarios librariosque perstringit, qui scribunt
non quod inueniunt; sed quod intelligunt, et dum alienos

alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos. Quamobrem, si in peruetusto aliquo codice obscuriores lectiones; vel antiquiores, minusue visitatae voces; aut loquutiones occurrant, cuiusmodi plures exstant in etrusco exemplari, quum alii codices clariora saepe ea omnia, atque vstitutiona exhibeant, tum sane credibile est, codicem illum ceteris antiquiorem esse; neque improbabile prorsus sit, hos ex illo fuisse descripros: etenim nulla ratio fuit, quare clariori; aut recentiori obscurior; aut antiquior vox; aut loquutio substitueretur, nec librarii verba explicatu facilia in difficultorem sensum solent mutare: et quae non intelligunt, clariori, ut putant, modo exprimere, quemadmodum recte monet SCHVLTINGIVS in iurispr. anteius. ad Vlp. tit. 21. §. 8. num. 27. pag. 596. Ita recte IO. GEORG. GRAEVIVS in lectionib. besiodeis cap. 22. ad v. 28. τῆς Σεργονίας, antiquam quorumdam librorum lectionem probat, in quibus scriptum erat γνῶσασαι, non ut vulgo μνήσασαι, additique, sciunt enim, qui veterum scripta cum iudicio versarunt, rariora et exquisitoria semper fuisse expuncta, et pro iis supposita trita, et ab usu vulgi minus remota. Id factum videtur in l. domus 58. D. de legat. i. vbi legitur in etrusco exemplari ædificiorum ætatibus, in vulgatis ædificiorum quantitatibus. Aetas eo loco designat quantitatem; seu modulum, mensuram, amplitudinem et magnitudinem ædificiorum: quippe, ætatem,

G 3 vt

vt recte animaduertit CVIACIVS ad Papinian. in d. l. et obs. lib. III. cap. 3 Latini interdum accipiunt pro quantitate, mensura, magnitudine corporis cuiusque; græci quoque ἡλικίαν sumunt non tantum ἀπὸ τῆς χρονίας, sed etiam ἀπὸ τῆς μεγέθεως, οὐ μηνώς. HESYCHIVS: ἡλικία, μέγεθος σώματος μέτρον τι. Glossæ veteres a LABEAO collectæ: ἡλικία, τὸ μῆνος, statura, ἡλικία, ἢ ἀπὸ τῆς χρόνων, εύνη, ἀτα. Quare in vulgaris τὸ quantitatibus glossema esse videtur, et explicatio rarioris alterius vocabuli ἀταibus.

Sed et interdum, vbi in florentinis pandectis emendatione opus erat, inepta emendatio conspicitur in vulgatis, cuius rei exemplum suppeditat lex cum heres 4. §. 1. D. de statulib. vbi PAVLVS ait: non est statuliber, cui libertas in tam longum tempus collata est, vt eo tempore is, qui manumissus est, viuere non possit: aut si tam difficilem, immo pene impossibilem conditionem adiecerit, vt aliunde (sive ut IO. FR. GRONOVIVS de pecun. vet. lib. I. cap. 5. pag. 81. legit, illi inde) ea libertas optingere non possit, veluti si heredi miles dedisset. Sic Florentiæ legitur, vt obseruat ANT. AVGUSTINVS emend. lib. II. cap. 6. in fine. Procul dubio legendum: millies Romanorum more, quos breuitatis studio ἐλλειπτικῶς decies, centies, millies scripsisse constat, pro decies centena millia, centies centena millia et millies centena millia; adeoque millies in eo §. designat, quod vulgo dicunt centum milliones. Male, vt obseruat

uat CVIACIVS obs. lib. xxi. cap. 39. Basilici interpretantur si heredi centum myriadas nummum dederit, et peius DOROTHEVS si chiliadas: nam chiliades sunt inferiores myriadibus. Pessime vero latini librarii mille in vulgatis scripserunt. Haud enim difficilis censetur conditio si mille dedrit, vt pene impossibilis videatur, quum ne ipsa quidem conditio si decem millia heredi derit difficilis reputetur, et sub hac conditione liber esse iussus, decem millia dando, ad libertatem perueniant, vt ex VLPIANO constat tit. II.
§. 4. Quamobrem ex adductis lectionibus, quæ in vulgatis dissentunt a florentinis, potius e-
xquirur, librarios; vel correctores propemodum fecisse nœ intelligendo, vt nihil intelligerent,
quam colligi possit, cetera exempla e florentino
codice non profluxisse.

Præterea argumentum ipsum ex variis lectionibus ductum nullius roboris esse, ex eo etiam ostenditur, quod ex librariorum imperitia; vel incuria; vel forte ex dictantis pronuntiatione minus distincta fieri potest, vt quæ ex uno deriuata sunt exemplari, varie se habeant. Huc sane referri possunt duo menda, quæ exorta sunt in vulgaribus libris in l. regula §. penult. D. de iur. et facti ignor. PAVL-
LVS IC. rescriptum ibi adfert SEVERI et AN-
TONINI: sed et imperatores Seuerus, et Antoninus in hæc verba rescripserunt. Eos quidem esse constat l. SEPTIMIVM SEVE-
RVM, et M. AVRELIVM ANTONINVM

G 4

CA-

CARACALLAM, qui interdum solo Antonini nomine designatur: HERODIANVS hist. lib. III. cap. 15. ὁ Ἀντωνῖος, τὸ πατρὸς αποθανόντος, Antoninus patre mortuo. EVSEBIUS hist. eccl. lib. III. cap. 16. πατὴ τὸς χρόνῳ Ἀντωνίῳ τὸν οὐρανὸν, temporibus Antonini filii Seueri. Ita etiam in adpendice ad marmora Oxoniensia pag. 304, hæc habentur:

ΟΙ. ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ.

ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΕC. ΣΕΩΤΗΡΟC

ΚΑΙ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. ΤΟΙΓ

ΕΜΤΡΝΑΙΟΙΓ.

Ita apud VLPIANVM in celebri l. in orbe 17. D. de statu hom. constitutio imperatoris Antonini est imp. Caracallæ. Verum in d. l. regula §. penult. in vulgatis digestis librarii scripserunt: sed et imperatores Verus, et Antoninus. Perperam sane etenim iurisconsulti M. ANTONINVM VERO præponunt, quum M. AVRELIVM ANTONIVM philosophum et L. AELIVM VERVM designant: VLPIANVS in l. fideicomissa u. §. si in opere 23. D. de legat. 3. Diuus Marcus et Lucius Verus Proculæ rescripserunt. Idem VLPIANVS in l. cum quasi 30. §. si aliter 13. D. de fideic. libert. exstat. rescriptum diuorum Marci et Veri. PAPIRIVS IV-
S TVS, in l. vlt. D. de adm. rer. ad ciuit. pertin. Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt. Et similiter in l. 3. D. ad l. Jul. de annona, et in l. vlt. in princ. §. 2. et §. vlt. D. ad Municipal. l. penult. D. de decurionib. MODESTINV S in l. si duas 6.

§. am-

§. amplius 18. D. de excusat. Μάρκος, καὶ Βῆρος,
 ubi hæc animaduertit ANT. AVGUSTINVS ad
 Modestinum lib. singulari: imperatores autem in om-
 nibus libris præter Noricum et Basiliensem Marcus
 et Seuerus appellantur: quoniam id initio fuerat
 Florentiæ scriptum: quod Politianus quoque descri-
 psit. Sed tamen prima syllaba in optimo illo libro
 expuncta est. Quod forte adhuc factum non erat
 quum exempla ex eo describerentur. Apud THEO-
 PHILVM a FROBENIO editum a. CICIOXXXIV. et a
 DION. GOTHOFREDO a. CICIOCX. hæc habentur in
 §. 6. inst. tit. de excus. οἱ θεότατοι ἀδέλφοι Σεβη-
 λεος, καὶ Ἀντωνῖνος ἀντέγραψαν. Perspicuum
 omnino est, etiam hoc loco Seuerum pro Vero
 scriptum esse, quemadmodum et ERASTIVS var.
 obs. lib. 1. cap. 14. ita emendauit Βῆρος, καὶ Ἀν-
 τωνῖνος, sed aliter romani iurisconsulti loquun-
 tur, qui ut diximus M. ANTONINVM VERO
 præponere solent. Suspicari licet verba illa Σεβη-
 λεος, καὶ Ἀντωνῖνος antiquum glossema esse, ideo
 recte ea FABROTIVS omisit, quemadmodum nec
 in latinis Iustiniani institutionibus habentur;
 sed diui fratres dicuntur. Alibi etiam tum in
 florentinis; tum in vulgatis pandectis erratum
 est a librariis, qui Seuerum pro, vero aut An-
 tonino scripsierunt. In indice, florentinis pan-
 dectis præfixo, inter PAVLLI μονοθιβλα recense-
 tur liber ad orationem diui Marci, ex quo libro
 desumptas esse l. sciendum 20. et l. Si quis tutor
 60. D. de ritu nupt. recte monet WIELINGIVS

in iurispr. restit. pag. LXXXVIII. cuius sententiam probant FRANC. CAROLVS CONRADI hist. pand. ad ind. flor. et GEORG. D'ARNAUD variar. conject. lib. II. cap 17. recte vero sic habet inscriptione d. l. 60. Idem Paulus libro singulari ad orationem diui Antonini et Commodi, vbi ANTONINVS est D. MARCVS arg. l. non solum 67. §. sed videamus 3. D. de ritu nupt. Perperam scriptum est in inscriptione d. l. 20. Paulus libro singulari ad orationem diui Seueri et Commodi: cuius sane lectioni refragatur historia; ideo scribendum vel cum WIELINGIO Antonini et Commodi, vel forte M. Veri et Commodi, nam et M. ANTONINVM a græcis scriptoribus Verum adpellari ex VALESIO ad Ammian. Marcellinum l. xxvii. cap. 6. pag. 381. tradit idem D'ARNAUD laudato loco.

Sed iam redeamus ad l. regula §. penult. D. de iuriis et facti ign. In eodem Seueri, et Antonini rescripto hæc Florentiæ leguntur: *Pecuniam ad opus aquæductus reipublicæ Cirthensum relictam.* LIVIVS lib. xxx. *Cirtha*, inquit, caput regni *Syphacis* erat. Syphacem vero Massylorum regem fuisse, constat ex eodem LIVIO lib. 28. vbi et hæc habet: *Masfuli gens adfinis Mauris regionem Hispaniæ, maxime qua sita noua Carthago est, spectant.* Quum vero librariis ignotum forte esset vrbis illius nomen, scripserunt in vulgaribus reipublicæ Cyrenensium. Simile illud est, quod habetur in l. I. §. penult. D. de polli-

pollicitat. Etenim in florentino exemplari legitur: *coluntas Citiensibus promisiſti*: in vulgaribus perperam scriptum est *Circensibus*. **CVIACIBVS** obſ. lib. III. cap. 38. id accipiendum esse docuit de republ. Citiensium: est autem Citium **LIVIO** teste lib. XXXXII. Macedoniæ oppidum. Addit deinde doctissimus **CVIACIVS**, ex ea ciuitate Zenonem Citiensem dictum esse a **GELLI** not. *attic.* l. XVII. cap. vlt. Sed humani aliquid passus est clarissimus interpres eumque sequens **DIONYS. GOTHOFREDVS** in d. l. i. §. penult. Etenim Zeno a Cittio vrbe græcanica in Cypro insula Cittieus a **CICERONE** V. *Tusculan.* Cittensis a **GELLI** dictus est. **LAERTIUS** lib. VII. in princ. Ζῆνων Μνασέας, ἦ Δημέας, πιττιεὺς, ἀπὸ Κύπρου πολίσματος ἐλληνικῆς, Φίνικας ἐποίης ἔχηκότος. Zeno Mnasei sive Demei filius Cittieus a parua Cypri vrbe græcanica, quæ Phœnices incolas habuit. **STRABO** lib. XIII. prope finem, vbi Cyprum describit: postea, inquit, est sinuosa quædam et aspera præternaugatio, ea Cittium itur; quæ ciuitas portum clausum habet. Ex hac Zeno fuit Stoicæ sectæ auctor, et Apollonius Medicus. Nec nouum est, librarios errasse in describendis vrbium nominibus. Ita apud **STERPHANVM** de vrbibus legitur: ἔτι καὶ αἰγαῖον πεδίον συνάπτου τὴν Κίρρην ὡς Ἡσιόδος. Est et Aegaeus campus annexus Cirrhae, ut apud Hesiodum. Proculdubio scriptum erat κυβερνήσα: etenim Cirrha nulla est in Creta, ut animaduertit **GRAEVIVS** lection. *Hesiod.*

Hesiod. cap. 25. ad vers. 484. τῆς Θεὸγ. Sed cybra adpellabatur, quæ et alias Hiera Pytna, sic enim STEPHANVS ipse: Ἱερὰ Πύτνα, πόλις Κέρτης ἡ πρότερος κύβεα, εἶτα Πύτνα, εἶτα Κάμιρος, εἴθ' ὅτως Ἱερὰ Πύτνα. Similiter apud VLPIANVM tit. 22. §. 6. Mineruam Miliensem scripserunt, quum scribere deberent Mineruam Iliensem, ut ex Turbeno, aliisque recte SCHULTINGIVS in iurisprud. ante-iust. ad eum §. 6. num. 19. pag. 635. et seq.

Atque hactenus quidem, quæ ex pandectis protuli, variarum lectionum exempla magis indicare videntur, vulgares pandectas e florentinis prodiisse, erratumque in iis describendis esse, quam contrarium suadere possint. Quum enim pleraque in præstantissimo hoc exemplari recte se habeant; sed vel græca, vel alias remota a communi loquendi consuetudine sint, vel gentes denique minus notas designent, his omnibus commoti sive dictantes; sive librarii; sive correctores florentinam lectionem mutarunt. Adde librariorum maxime incuriam et oscitantiam: adde ipsam lucri citius capiendi caussa festinationem ac metum præterea, ne correctione nimia deformatis codicibus, plurimum de eorum pretio decederet, neue scribentis negligentia primo statim adspectu ab emitoribus detegeretur; aut saltem integras aliquot paginas iterum librarii ipsi describere cogerentur. Quare quum de conferendis cum anti-

antigrapho exemplis nimium solliciti non es-
sent; immo vero s^epe την αντιβολην prorsus re-
fugerent, sumtui ac tempori parcebant si-
bique ocyus pecuniam vel ex ipsa negligentia
parabant. Neque mirum esse cuiquam debet,
librarios ab exemplari sibi proposito s^epe aber-
rasse; erant enim rerum, ac sententiarum, quas
describebant, plerumque ignari; neque tantum
imperiti homines, et qui quæstuariam artem
exercent, in errores scribendo inducuntur;
sed et peritissimi quoque viri, non lucri; sed so-
lius gloriae adpetentes, atque audi laudis, qui-
ue tantum publicæ utilitati inseruire student,
pro litteris atque integris etiam dictionibus,
quas animo conceperant, alias inuiti descri-
bunt. De Augusto Cæsare, eruditissimo fane
viro, Svetonius in eius vita, cap. 88. nam
quod s^epe, ait, non litteras modo; sed syllabas aut
permutat; aut præterit, communis hominum error
est. Ingenue docitissimus Cviacius fatetur lib. I.
obs. cap. 36. S^epe fit, vti nos manus in scribendo
fallat. Ex quibus profecto omnibus luculententer
constabit, argumentum, quo merito negetur,
vulgares e florentinis pandectis duxisse origi-
nem, recte ex variis lectionibus duci non
posse.

Præterea, quoniam nulla fere dictionum
interualla et raræ admodum sunt in florenti-
no exemplari interpunctiones, quum in descri-
bendis corrigendisque exemplis aut verba in-
terme-

110 DISQVISITIO DE FLORENTINO

termedio spatio relicto distinguerentur; aut puncta adiicerentur pro cuiusque arbitrio, variæ aliquot lectiones exinde enatæ obseruari facile possunt, quemadmodum et Hadriani æuo Nicanor ille Grammaticus Alexandrinus *syn-
patias* appellatus differentiam ostendit, quæ maxime apud HOMERVM, et CALLIMACHVM ex varia interpunctione oriebatur. Neque omitendum est, in ipso etrusco exemplari quædam vel inepte emendata esse, vnde alii veterem scripturam, alii correctionem sequuti sunt. Accedat demum diligentissimi BRENCMANNI obseruatio, qui in *hist. pand. lib. III. cap. 2. pag. 232.* ait: *quo antiquiora sunt MSS. eo minus a florentino discedere.*

CAPVT XVI.

Diuersa, quæ in inscriptionibus legum habentur, iurisconsultorum nomina in variis pandectarum exemplis, minime probant, hæc ex florentino codice originem non habuisse. Plures huiuscæ diuersitatis cauſæ adferuntur. Obiectio diluitur ex eo ducta, quod in vulgatis distinctæ quædam leges habentur, quæ in florentino unicam conficiunt in plures paragraphos tributam.

AD varias lectiones, ex quibus nonnulli negant omnia, quæ habemus, pandectarum exempla ex etrusco manasse, et illud pertinet, quod in eam rem post cl. DONATVM ASTENSÆM lib. II. cap. 30. pag. 44. scripsit cl. GRAN-

DIVS

DIVS in notis ad epist. de pandectis num. 27. his
verbis: ceterum in vulgatis pandectis aliquod le-
ges quibusdam iurisconsultis tribuntur, quæ in
florentinis ad alios auctores relate sunt. Quod
tametsi verum procul dubio sit; nostram tamen
sententiam infringere posse, nequaquam vide-
tur. Etenim pandectarum exemplaria, quæ
primum auctoritate Iustiniani prodierunt, pro-
babile admodum est, simul collata fuisse, et
ad archetypi alicuius rationem exacta, ne quid
in vno ab alio diuersum; vel alteri contrarium
in iis reperiretur. Quis enim putauerit, tan-
tam fuisse Iustiniani, ac Tribonianii oscitatio-
nem, ut plura legum exemplaria proponi, ac
publicari vellent dubii, et incerti, an ea inter
se consentirent? Variantes igitur lectiones ab
imperitis; vel minus cautis librariis, qui va-
ria subinde exempla descripserunt; vel ab auda-
cibus correctoribus originem duxisse, necesse
est. Iam si varietas huiusmodi, ut quæ in vno
exemplo tribuebantur, e. gr. PAVLLO, in alio ad-
scriberentur VLPIANO vel POMPONIO, contingen-
tere in iis libris potuit, qui ex prioribus exem-
plaribus profluxerunt; quidni potuit similis et-
iam oriri, postquam exempla ex codice, qui
nunc florentinus dicitur, describi coeperunt?
Quonam felici sydere faciendum fuisse putabi-
mus, ut quum in ceteris libris iterum ac sa-
pius describendis errores propemodum innu-
merabiliter multiplicati sint, id soli florenti-

no



no exemplari vel ex ipso deductis exemplis omnino concedendum esset, ut quotquot ex eo describerentur codices, eorum nemo unus ab illo posset vñquam deflectere, nullæ in iis variæ lectiones, nullus in omnibus propriis transcribendis error, nulla incuria, σφδλωα, vel παρόγεαπα nulla deberet vñquam dignosci. Profecto maior non vrget ratio existimandi, scriptores librarios vnum pro alio iurisconsulti nomine usurpasse potius in veteribus illis libris, ex quibus vulgata digesta descripta funguntur; quam in iis, qui ex florentino desumti fuerunt. Illud quoque accedit, quod cuiuslibet fere libri exempla vel ab uno codice primum profluxerunt; vel si auctor opus suum pluribus excipendum dictauit, ipsa auctoris viua vox vna fuit: nihilominus qui vñquam reperiuntur veteres codices, qui variis lectiōnibus non sint referti? Quare nullius momenti collectio isthac videtur: pandectarum exempla, quæ exstant, varias persæpe habent lectiones; diuersa in inscriptionibus legum præ se ferunt auctorum nomina; ergo a florentino exemplari non profluxerunt.

Quum plures autem adferri possint cauſſæ, cur in nominibus propriis iurisconsultorum describendis erratum ſæpenumero fit in vulgaris digestis, tum præcipua esse videtur nominum ſimilitudo. *Lex ultima D. de in int. reflit.*
ſic inscripta est Florentiæ: *Macer libro secundo*

de

de appellationibus. In vulgatis legitur: *Marcellus lib. II. de appellationibus.* Index, florentino exemplari præfixus, habet: *Μαρκός de appellationibus βιβλίῳ αδυτοῦ.* Marcello autem nullus de appellationibus liber adscribitur: quare ea *lex ult.* Aemilio Macro tribuenda est. Errori causam dedisse videretur cum nominum similitudo; tum inscriptio superioris *legis diuus*, in qua recte haberur: *Marcellus libro tertio digestorum.*

Florentiae lex *cum debitore 32. de pign. act.* inscriptionem hanc præ se fert: *Marcianus libro quarto regularum*: vulgata habet: *Marcellus libro 4. digestorum.* Nominum similitudo aliqua varietatem hanc peperisse videntur. Errauit primum librarius, qui pro Marciano scripsit *Marcellus*; quoniam vero hic nullos regularum libros; sed tantummodo notas ad Pomponii librum singularem regularum conscripsit, si vera habet inscriptio *I. furiosus 63. D. de adq. vel om. hered. nempe: libro singulari regularum Pomponii Marcellus notat*, idcirco alter subinde in inscriptione d. I. 32. enatus error, ut pro regularum, scriptum fuerit *digestorum*; quippe Marcellus, ut index florentinus habet, scripsit *digestor βιβλία τειχοντα εν.* Verum florentina lectio proculdubio præferenda. Marcianus enim, ut in laudato indice legitur, scripsit *regularion βιβλία πεντε.* Idcirco inscriptio sequentis *I. 33. D. eod. tit. de pign. act. recte* habet apud **DIONYS. GOTHOFREDVM**: *Idem lib.*

lib. singulari ad formulam hypothecariam. Nam et in florentino indice exstat inter Marciani opera οποθηκασιας πυνθανεται.

Inscriptio legis 7. de testament. hæc est in florentinis pandectis: Aemilius Macer libro primo ad legem vicesimam hereditatum; sed in vulgaris, Martiani nomen, omisis reliquis inscriptionis verbis, descriptum est eamdemque legem HALOANDER Marciano, alii Marcello adscripserunt.

In inscriptione 7. ut heredibus 51. D. de legat. 2. Florentinus liber habet: Marcellus libro vicesimo octauo digestorum. In vulgaris est Martius: in aliquibus libris legitur Marcianus.

Lex mille 154. D. de V. S. hanc in florentinis habet inscriptionem: Macer libro primo ad legem iuliam et papiam. In vulgaris legitur: Martianus, nec aliud quidquam additur. In aliquibus libris legitur: Macer libro primo ad legem vicesimam. Quæ inscriptio recta est: etenim in indice florentino inter Macri opera legitur Εικοσων βιβλια δυο.

Addatur et inscriptio leg. intelligendus 153. D. de verb. sign. quæ in florentinis hæc est: Terentius Clemens libro secundo ad legem iuliam et papiam: vulgo legitur, Herennius, ceteris omissis.

Præter huiusmodi varietates ex nominum similitudine exortas, etiam ex similitudine operis factum aliquando est, ut ynius jurisconsul-

ti

ii nomen pro alio scriberetur. Marcellus
notas scriptis ad libros digestorum Juliani, vnde
sumtæ fuerunt *lex interdum 14. D. de in rem ver-*
so, l. non dubitamus 10. D. de cond. et dem.
aliæque Paulli etiam notæ ad Julianum exstabant,
vt constat ex *l. si prætor 75. vers. Paullus notat*
D. de iudiciis ex l. Prætor 3. §. 1. D. de collat. et
similibus. Quare quum inscriptio legis *si quis*
alius n. D. quod met. causa ita forte concepta
esset, vt legitur apud DIONYS. GOTHOFRÆ-
DVM: Paullus libro quinto (Juliani) digestorum
notatorum: in vulgatis scriptum est: Marcellus
lib. 5. Juliani digest. notat. Sic inscriptio leg. l.
D. fin. reg. Florentiæ hæc est: Paullus libro 23.
ad edictum: in vulgatis: Caius libro 7. ad edic-
tum prouinciale.

Vnum quoque iurisconsulti opus incuria
forte librariorum in vulgatis interdum pro alio
eiusdem opere scriptum est. Exemplum pre-
ber inscriptio legis *si pignus 37. D. de pign. act.*
vii etruscum exemplar habet: *Paullus libro quin-*
to ad Plantium: in vulgatis legitur: Paullus
libro v. ad edictum.

Item ex propinquis legibus, quum forte
scribentis oculi aberrarent, orta aliquando va-
riatio. *Lex et ideo rationis 21. D. de legibus*
hanc in florentinis habet inscriptionem: *Nera-*
tius libro sexto membranarum: In aliquibus legi-
tur: Julianus lib. 90. dig. Ortus fortasse error
ex eo, quod superior lex 20. habet: Julianus
libro 55. dig.

Interdum vero ubi florentina alicuius legis inscriptio paullum recedit a forma, quæ in ceteris legum inscriptionibus seruari solet, ibi maxime in aliis libris erratum est, ex quo potius colligitur, hos a florentino propagatos esse; quam contrarium probari possit. Luculentissimum suppeditat exemplar inscriptio *legis 4. D. de resc. vend.* quæ Florentiæ huiusmodi est: *libro quarto digestorum Iuliani Paullus notat.* Quantum ab aliis inscriptionibus, in quibus proposito iurisconsulti nomine, subiicitur eiusdem opus, hæc ipsa inscriptio differat, nemo est, qui non videat; quare existimarunt forte librarii; vel correctores, mendum hic esse: ideo in vulgatis scriptum est: *item li. 8. dig. Iul. Pau. 20.* in aliquibus legitur: *Paulus lib. 8. ac lex ipsa,* quæ in florentino exemplari incipit *si emtio,* in nonnullis libris incipit: *Paullus notat:* in quibusdam: *Proculus notat.*

Lex 4. de donationib. vulgo ita inscribitur,
teste LAVR. THEOD. GRONOVIO emend. pan-
dect. cap. 25. pag. 76. Paulus libro septimo decimo
ad Sabinum: In Basilicis et quibusdam editioni-
bus Pomponio adscribitur. TAVRELLVS emenda-
uit in margine: Pomponius, cui sane tribuenda est,
erenim in codice florentino solum 16. libri
Pauli ad Sabinum memorantur: Παῦλος ad Sa-
binum βιβλία δεκα εξ: Pomponii vero quinque
et triginta Πομπονίων ad Sabinum βιβλία τριχ-
κοντά

Novae neutae. Sed quum in florentinis pandectis vtraque scripta existat, *Paulus, Pomponius*, ut animaduertit *SCHVLTINGIVS iurisprud. anteius.* in notis ad *Paulli vitam* pag. 208. factum exinde videtur, ut in inscriptione *d. l. 4.* ab aliis *Paulli nomen*, ab aliis *Pomponii scriptum* sit. Quod sane potius confirmare videtur sententiam nostram; quam illud probare, quod colligit *SCHVLTINGIVS laud. loco*, videlicet non omnes codices ex florentino profluxisse.

Librariorum vero negligentiam in describendis potissimum legum inscriptionibus, quam plura facile ostendunt: s^apissime enim, præsertim in infortiato et digesto nouo, solum iurisconsulti nomen descripsérunt, omissis reliquis inscriptionum verbis, quibus liber, vnde ea lex desumpta erat, designabatur. S^apē etenim quum in florentino exemplari contigua scriptura sit, nullis dictionum interuallis, adeoque inscriptiones cum iurisconsultorum verbis coniunctæ sint, verba, quæ ad *ἐπιγεαθν* legis pertinebant, ita scripsérunt, ut ea partem legis constituerent. Cuius quidem rei plura profert exempla *ANT. AVGUSTINVS emend.* lib. *i. cap. 4.* et *BYNKERSHOEK obs. lib. IIII. cap. 13.* Insigne illud est in *l. 41. D. de liberali causa*, vbi in vulgatis verba legis hæc sunt: *liberalis causa, si in obscuro sit, in quorum erit statuis, qui pro libertate sua litigat: prior audiendus est etc.* Florentiæ vero fuit: *Paullus libro singulari de ar-*

ticulis liberalis causa. Si in obscuro sit, in quo fuerit statu is, qui pro libertate sua litigat etc. Quo, inquit, AVGVSTINVS ea cap. 4. nihil manifestius dici potest; et tamen indoctus, nescio quis, vltimam CAVSAE litteram expunxit, vnde error in omnes libros venit.

Quod autem præterea obiicit cl. ASTENSIS laud. lib. II. cap. 3. pag. 44. nempe in vulgatis plures habere distinctas leges, quæ in florentinis sunt paragraphi præcedentis legis, ne quidem illud nos a proposita sententia dimouere potest, quippe et hoc ipsum vel negligentiae librariorum; vel obscuræ correctorum diligenterie tribuendum videtur. Exemplum adferam ex l. cum seruus 39. D. de leg. 1. cuius legis inscriptio in florentinis hæc est: *Vlpianus libro vicesimo primo ad Sabinum:* in vulgatis Paullus: errore orto, quod et Paullus et Vlpianus ad Sabinum scripserunt. Florentiae principio eius legis postea verba: et ita Iulianus scribit: hæc habentur: nam et sumtum an in hanc rem facere heres deberet, Africianus libro vicesimo epistolarum apud Iulianum querit: putatque etc. In vulgatis legitur: nam et sumtum in hanc rem facere heres debeat: deinde sequitur alia lex, cuius inscriptio est: *Idem:* et incipit lex Africianus lib. 20. epistolarum apud Iulianum querit: putatque etc. In aliis incipit apud Iulianum: ea nomina iurisconsultorum occasionem præbuerunt librariis existimandi, illinc alias legem inci-

incipere, quæ esset *lex 40.* Ad hæc in eadem
l. cum seruus post illa verba: me agentem libera-
tionem consequi, Florentiæ paragraphus incipit:
Idem Julianus scribit, sed, in vulgatis *τῶ idem*
repetito, facta est *lex 41.* cuius inscriptio est:
idem, lex autem incipit: *idem Julianus*: atque
adeo, quæ vna lex est in etrusco exemplari in
plures §§. tributa, in vulgatis eadem in tres
leges diuisa est: Quod quidem, aliudue eiusmo-
di ut incuriam arguit librariorum; ita senten-
tiæ nostræ nullo modo aduersatur. Ac profecto,
quum omnes, quæ hactenus adlatæ sunt, caussæ
aliæue similes efficere potuerint, ut ex iis exem-
plis, quæ primum a Florentino deducta fuere,
librarii scriptores paulo deteriora proferrent,
ex his alia subinde vitiosiora describerentur, adeo,
ut quo longius per intermedia exempla deriuati
essent a florentino exemplari posteriores libri; eo
magis ab illo deflecterent atque in peius rue-
rent, non est, cur ex ea nominum aliarumque
lectionum varietate possit sententia nostra refelli.

CAPVT XVII.

Meliores, quæ in vulgatis pandectis interdum
habentur, lectiones minime refragantur senten-
tiæ, qua contenditur, omnia pandectarum, quæ
supersunt, exempla, ex etrusco exemplari
esse deducta.

*A*t vero in vulgatis pandectis meliores;
quam in florentinis, plenioresque lectio-

H 4

nes

nes interdum reperiuntur. Negare id quidem non ausim; haud tamen idcirco, quam tueor, sententiam labefactari posse crediderim. Etenim codices non semper ad veteris alicuius exemplaris fidem; verum saepe correctoris arbitratu emendabantur: et alii sane, qui licet iurisprudentiae et critices praesidiis destituti essent; multum tamen sibi arrogabant, loca quædam temere deprauarunt; alii vero maiori doctrinæ copia instructi et acuto imprimis ac solerti præditi ingenio, quædam felicibus coniecturis restituisse videntur. Ipsa B. PETRI DAMIANI ætate iurisconsultos floruisse, qui non modo iuris facultate; sed ceteris etiam bonis artibus præstabant, ex illis epistolis collegit idem ASTENSIS l. 2. cap. 2. pag. 34. Quidni potuerint ipsi aliquique vel ante ea tempora iis non absimiles romani iurisperiti emendationes quasdam; aut supplementa in margine, suorum quisque librorum, adscribere, quæ postea communis plerumque consensu probata in ipsum vulgarium digestorum contextum irrepserint? Idque sane ante XII. sæculum contigisse potuit, siquidem de restituto ex Lotharii II. edicto iure ciuili iam pridem explosa sententia est, ac, pandectarum exempla Rauennæ ante eam ætatem descripta fuisse, pluribus coniecturis ad credendum quis merito potest adduci. Quare tametsi DONATVS ASTENSIS lib. II. cap. 3. pag. 44. ut probet, ceteros, quos habemus,

mus, pandectarum libros e thusco exemplari, minime prodiisse, tres HOMERI versus *Odyssæ lib. III.* obiiciat, qui in l. *Qui venenum 236. D. de verb. sign.* leguntur in vulgatis, in florentinis non exstant, idemque haud immerito adfimet, ante ipsum ACCURSIVM in ipsis vulgatis, aliisque MSS. pleraque aliter; ac in florentinis libris descripta esse; propositum tamen adsequi non videtur. Nihil enim impedimento est; quo minus recte existimemus, HOMERI eximia poemata a nonnullis lecta fuisse, qui Rauennæ operam iurisprudentiæ summa cum laude impendebant. Nouerant enim, puto, planeque perspexerant, HOMERVUM non semel in institutionibus et pandectis laudatum esse atque a Triboniano in ipso digestorum proemio; siue const. omnem, in fine: patrem omnis virtutis appellatum. In ea autem vrbe degebant, in qua et græci homines versabantur; a quibus græca discere potuerunt, vt verisimile admodum sit, ab iisdem iurisperitis in prioribus illis vulgarium pandectarum exemplis eos HOMERI versus adiectos fuisse. Nec mirum esse cuiquam deber, varias illas lectiones, quæ in vulgaribus digestis habentur et a glossographis referuntur, Irnerio, Pileo; et Accursio antiquiores fuisse, quum, vt superius coniecimus, exortæ iis temporibus essent, quibus romani iuris studium in rauennatibus scholis et foro maxime florebat.

H 5

Iam

Iam vero pleniorum et adcuratiorem in
 vulgatis aliisque libris; quam in etruicis, lectio-
 nem obiicit quoque cl. ABRAHAMVS WIELIN-
 GIVS in laudata superius præfatione ad libros
 lectionum iuris civilis, nouumque eius rei
 exemplum se adferre profitetur. Verba PRO-
 CVL I adducit ex l. non dubito 7. §. 1. in fine D.
 de capt. et postl. rev. quæ Florentiæ ita leguntur:
*Et quemadmodum clientes nostros intelligimus libe-
 ros esse, etiam si neque auctoritate; neque dignita-
 te; neque viri boni nobis præsunt; sic eos, qui ma-
 iestatem nostram comiter conseruare debent, libe-
 ros esse, intelligendum est.* Certe mendum esse
 in iis verbis: *neque viri boni nobis præsunt,*
 aperte dignoscitur: sed ita fere etiam ROGE-
 RIVS legisse videtur. Ait enim apud ACCVR-
 SIVM: *hoc tale est: licet clientes nostri non præ-
 sint nobis, idest comparentur: nec subsint nobis,*
 ut boni viri, *nec per auctoritatem vel dignitatem;*
 tamen libri sunt: sic etc. subiicit deinde ACCVR-
 SIVS, sed quidam habent cancellatum boni viri.
 GUILIELMVS BVDAEVIS in adnot. ad eam le-
 gem hæc scripsit: *ego sola conjectura adducor, vt*
 ita locum legam: *etiam si neque auctoritate, neque*
dignitate, neque iure omni nobis pares sunt.
 LVD. CHARONDAS ex MS. codice STEPHANI
 AVREDANI ad marginem d. l. 7. alias corrup-
 tum illum locum ita quoque repræsentat: *ne-*
que iure omni nobis pares sunt: ita etiam legit
 GROTIUS de iure bel. ac pac. lib. 1. cap. 3. §. 21.
 num. 2. in fine. *Enim vero ex hoc ipso exem-*
pli

plor deduci minime posse arbitror, ceteros pandectarum, quos nouimus, libros e florentinis non dimanasse: constat enim, ROGERII ET ACCVRSSI¹⁵²⁰ ætate in vulgatis fere ut in florentinis scripta hæc fuisse. Præterea ACCVRSIUS ROGERII qui deni interpretationem adducit; nec tanquam de speciali quadam lectione loquitur; neque eam litteram pisanam vocat, ut alias interdum solet; monet tantummodo, in aliquibus codicibus cancellatum esse *boni viri*, ex quo patet, quosdam in hac lectione etiam tunc hæsitasse. Et hactenus quidem hæc nihil obstant; quo minus censetur, vulgares libros e florentinis esse descriptos; immo vero id magis comprobant, quoniam ubi erratum est in florentino exemplari, non leuis fuit interpretum dubitatio, qui ita non dubitassent, si exemplum aliquod aliunde descriptum consulere potuissent. Neque vero omnes homines hebeti adeo ingenio fuisse crediderim, ut nemo unquam barbaris quantumvis temporibus existare potuerit, qui ex ipsa Proculi sententia post multas aliorum curas conciceret, quomodo locum illum felicius emendare liceret; neque prorsus inuerisimile sit, ab ingenioso quodam interprete in sui codicis margine emendationem illam fuisse adscriptam, quæ deinde in codice AVREDANI aliisue in legem ipsam irrepserit. Ac valde mihi probanda videtur VLRICI HVBERI sententia existimantis, aliorum librorum lectionem

ctionem florentina meliorem; aut felicem errorem esse, qui vtique rarissimus esse debet; aut docti viri coniecturam.

Ad rationem illam ex meliori vulgata lectione deductum pertinere videtur consensus vulgatae lectionis cum basilicis in aliquot locis, in quibus florentina lectio discrepat a vulgata. Verum neque id argumento esse potest, quo demonstretur, vulgatos libros ab etruscis non esse profectos. Etenim quum Rauennæ romana floreret iurisprudentia, in ea scilicet vrbe, quæ græco parebat imperio, et in qua etiam græci homines versabantur, nonne fieri potuit, vt ex antiqua Thalelæi versione quædam in vulgaribus libris emendarentur? Præterea nonne fieri potuit, vt latinis, qui græca nesciebant, idem in eodem iuris loco in mentem veniret, quod etiam græci excogitauerant? Sic græci quidam legem falcidiā $\alpha\pi\circ\tau\delta\varphi\alpha\lambda\eta\varsigma$, $\delta\eta\lambda\circ\delta\varrho\epsilon\pi\alpha\eta\eta$, adpellatam existimarunt, vt est apud HARMENOPVLVM in promtuar. lib. v. tit. 9. veteres glossæ verborum iuris in v. $\varphi\alpha\lambda\kappa\iota\delta\circ\varsigma$ hæc habent: $\eta\eta\circ\eta\lambda\epsilon\zeta\varsigma$ $\varphi\alpha\mu\alpha\eta\eta\circ\alpha\pi\circ\tau\delta\varphi\alpha\lambda\eta\varsigma$, $\delta\eta\lambda\circ\delta\varrho\epsilon\pi\alpha\eta\eta$. Eadem quoque fuit latinorum quorundam inepta sententia. GLOSSOGRAPHVS ad l. in princ. D. ad l. falcid. lit. a. scripsit: Alii dicunt eamdem (id est legem falcidiā) dici a falce, quiarefecat, vt falx: Item ad princip. tit. inst. de l. falcid. lit. a. falcidia ideo sic dicta, quia vt falx fenum; sic hæc lex legata refe-

refecat. Quod ergo hic græci somniarunt, idem et latini quidam commenti sunt. Aliud liber adferre exemplum, in quo vera est græcorum et latinorum interpretatio. In l. *Eius militis* 34. in vulgatis 35. §. 2. D. de testam. milit. hæc extant: nec tamen circa militem eadem adhibebitur distinctio: Addunt græci ἐτι σχατυνόμενον, prorsus glossa nostra lit. C. id est circa eum, qui adhuc militat. recte ait, LEVNCLAVIUS notorum, lib. II. num. 63. th. iur. tom. III. col. 1518. saepe numero reperiuntur apud græcos huiusmodi glossæ a nostris ad verbum expressæ, quasi si a græcis petitæ fuerint. Neque nouum; vel ἀδιάβατον est, eos, qui eundem locum interpretantur; vel emendare student, in eamdem sententiam conuenire, etiamsi quod unus excogitauerit, id nesciat alter.

CAPVT XVIII.

Supplementa, quæ in vulgatis digestis reperiuntur, interdum superuacanea esse, ostendit.

QVAE igitur in vulgatis pandectis alicubi supplementa leguntur, quæque pleniora adeo in iis; quam in florentinis lectionem ostendunt, nil aliud esse videntur; quam glossemata quædam in vulgarem contextum recepta; eorum vero licet alia necessaria forte censeantur, quæ sane ex iurisprudentiæ principiis deduci potuerunt; alia tamen errorum plena; aut certe

certe superuacanea sunt. Exemplum adferam
 ex *I. Lucius 45. D. de vulg. et pupill. subst.* Species
 hæc est, *L. Titius* Titianum, filium suum
 ex iustis nuptiis procreaturn, et Titium, filium
 suum naturalem tantum, ambos impuberes, he-
 redes instituit, eosque inuicem substituit. Mor-
 tuo patre Titianus impubes decepsit, supersti-
 tibus matre et fratre naturali. Quæsitum fuit,
 an Titiani hereditas ad fratrem ex cauſa substi-
 tutionis pertinere deberet; an vero ad matrem
 ab intestato ex *SC. Tertulliano?* Dubitandi ra-
 tio erat, quia Titianus et Titius inuicem substi-
 tuti fuerant, et reciproca substitutione tum pri-
 mum casum, hoc est substitutionis vulgaris,
 tum secundum, hoc est pupillaris, complectitur,
Iam hoc iure 4. §. 1. D. de vulg. et pupill. Paullus
 tamen respondit, substitutionem ad secundum
 casum non pertinere ideoque matrem ab intestato
 admittendam esse: rationem addidit, quia in
 naturalis filia persona duplex substitutione locum
 habere non potest. Nimirum pater filio suo
 tantum naturali potuit substituere per vulgarem;
 non per pupillarem, quum eum non haberet in
 potestate, *I. 2. in princ. D. eod.* reciproca autem
 substitutione eas tantummodo substitutiones com-
 plectitur, quæ possunt in vitroque herede
 verificari, *d. I. iam hoc iure 4. §. 2. l. quam-*
uis 4. C. de impuber. et aliis subst. Incon-
 gruum namque visum fuit, vnum idemque
 verbum *substitutione* in alterius persona dupli-
 cem

cem vim haberet; in alterius vero simplicem.
 Et Paulli IC. verba in laud. l. Lucius 45. *Lucius*
Titius legitimum filium et alterum naturalem, heredes instituit eosque inuicem substituit. Titianus legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, post patris mortem impubes decessit, superflite matre et fratre naturali, quem etiam cohendem habebat: quero, an hereditas eius ad Titium naturalem filium ex causa substitutionis pertineat, an vero ad matrem? Respondi ad primum casum non existentium heredum substitutionem, de qua queritur, pertinet, non ad sequentem. si quis eorum postea decessisset intra pubertatem (vnde pater, verumque testamenti tempore fuisse impuberem) quin in naturalis filii persona duplex substitutione locum habere non poterit, et ideo ad matrem legiti-
 mi filii hereditas ab intestato pertinet. Hæc deinde in vulgatis addita sunt; aliter si ejusdem etatis liberis instituti, inuicemque substituti fuissent; tunc enim altero defuncto intra pubertatem, eius successio non ad matrem; sed ad substitutum eius devolvitur. Verum clausula hæc abest a Florentinis pandectis, quod etiam testatur ANT.
 AVGUSTINVS emend. lib. III. cap. I. abest etiam ab
 silicis, eamque supposititiam HALOANDER existi-
 mat. Profecto ea retinenda non est; superioribus
 enim parum apte cohæret, quia quum rō aliter
 diuersam a superiori speciem polliceatur, eam-
 dem tamen quæ sequuntur, verba constituunt; ni-
 hil quippe diuersum utraque species haber, si filios
 ciu-

eiudem esse ætatis in adiecta clausula proponatur, quum et in superiori specie ex Paulli verbis constet, utrumque impuberem fuisse. Constituendum potius erat discrimen in potestate; non in ætate: ideo qui hæc adiecit, quæstionem et responsonem Paulli minus percepisse, videatur. Certe in prima specie mater in altera substitutus admittitur; non tamen ex ætate, quæ quidem pupillaris, in utraque specie propo-
 nitur; sed ex potestate sumenda differentia est.
CVIACIVS quoque eam clausulam retinendam non esse censuit lib. xvii. obs. cap. 6. et in lib. xii. resp. Paulli ad d. l. Lucius et in recit. ad tit. D. de vulg. et pupill. ad l. 4. et quamvis contrarium proposuerit ad l. 9. et vlt. C. de inst. et subst. (nempe ut adnueret concederetque, quod non credebat, quemadmodum ait OSIVS AVRELIVS dispunkt. 38.) priorem tamen sententiam deinde palam confirmavit ad l. 2. et 4. C. de imp. et al. subst. Quod si quis eamdem retinere clausulam vellet, iis verbis: aliter si eiudem ætatis, addenda hæc essent cum MERILLIO variant. lib. I. cap. 38. eiudemque conditionis, nempe ut significaretur, filios institutos et inuicem substitutos non modo impuberes esse; verum et legitimos et sub patria potestate constitutos, adeoque diuersa a superiori, quam Paullus adulterat, species proponeretur. Immo vero quamvis hæc ad eam clausulam adiiciantur; ipsam tamen superuacanam esse,

CIVS

CIVS putauerat ad l. 2.¹ et 4. C. de imp. et al. subst. Etenim, si ambo legitimi, eiusdemque conditionis sint, stultum videtur adnotare, altero mortuo impubere, fratrem iure substitutionis reciprocæ matri præferri, quia et iure intestati matrem excludit, quum sit defuncti frater consanguineus, §. præferuntur 3. vers. frater, inst. tit. de SC. Tertull. Sed esto, superuacanea prorsus non censeatur ea clausula, quippe ut OSIVS laud. disjunct. 38. animaduertit, ad utilitatem filii pertinet, ut ex testamento heredes habeat l. Iulianus 42. alias l. si pupillus D. de adquir. vel om. her. haud omnis tamen supicio τῷ ἐμβλήματος depellitur, quoniam ut ea retineatur, noua adiectione opus est, nempe hac, eiusdem conditionis: quæ quidem adiectio nullius veteris codicis auctoritate innititur. Errasse ergo videntur, qui ea verba: aliter si etc. a minus adcurato interprete forte adscripta, ex ora libri τῷ κειμένῳ ingesserunt.

Aliud non piget adferre exemplum, quo vtritur GRANDIVS in not. ad epist. de pand. n. 29. ut prober exempla, quæ existant, non omnia ex floréntino manasse: quum enim dixisset, pleraque vetusta exemplaria in titulo de regulis iur. a veteribus iurisconsultis iuxta pisanam literam correcta fuisse, quam coniecturam haud esse probabilem, superius cap. V IIII. censem, adiicit quoque: non tamen ideo prætermissa l. si filius familias ex Paullo IC. veteribus libris inter 18.

I

et

et 19. eius tit. de diuers. reg. iur. ant. inserta
 (quæ in florentinis pandectis deest adeoque inde
 rescribi non potuit) sed vel adpendicis loco subiunc-
 ta, eidem superiori legi 18. Quæ legata, vel iux-
 ta Bartoli numerationem, tamquam peculiari lege
 ordine 19. computata, ut lex qui cum alio, euaderet
 20. et sic alia uno deinceps gradu promouerentur,
 vt omnino 212. leges is titulus complecteretur, cui
 tamen illi in etruscis voluminibus deputantur. Ha-
 ctenus doctissimus vir; sed hanc ipsam, l. si fi-
 lius familias superfluum esse ἐπιθέμα facile
 deprehenditur. Nam primo eum respuit fer-
 uata in hoc titulo de reg. iur. regularum series,
 vt ad eam monet IAC. GOTHOFREDVS: deinde
 necesse minime fuit, eam in hunc locum infere-
 re, quum alibi iisdem verbis ipsa habeatur; pa-
 tet enim, adscriptam esse ex l. si filius familias,
 D. de verb. obl. propterea quod eiusdem argu-
 menti est cum iis, quæ habentur in fine superio-
 ris legis, quae legata 18. D. de reg. iur. sane, vt
 vel ipse ACCVRSIUS monet ad d. l. Quæ legata,
 quidam eam l. si filius familias, eod. tit. non ha-
 bent; inde factum, vt in aliquibus libris ipsa
 partem superioris legis 18. in aliquibus vero
 separatum caput constituat. Plures quoque le-
 ges, quæ in florentino exemplari iis in locis, in
 quibus vulgo habentur, non exstant; sed ex aliis
 desumptæ irrepserunt, adfert ANT. AVGVSTI-
 NVS emend. lib. III. cap. I.

Quamobrem ad pliores huiusmodi in
 vulga-

vulgatis; quam in etruscis pandectis lectiones omnino pertinet primus ille 10. CLERICI aphorismus art. crit. parte III. sect. 2. cap. 2. n. 2. pag. 325. edit. 5. interpolati libri indicium est, si sit in veteribus codicibus sine additamento quod in recentioribus iuuenietur. Vetus quidem est florentinus codex, vi. vel vii. seculo exaratus, ut cap. v. dictum est: vulgares autem pandectarum libri, si quid coniecturis adsequuntur sumus, conscripti, postquam exemplar illud Ravennam translatum fuit. Ex iis vero Ms. codicibus pandectarum, quos superesse nouimus, nullus supra saeculum xii. descendere, ex ipsa scripturæ forma deprehensus est, quemadmodum BRENCMANNVS testatur l. III. cap. 3. in princ.

CAPVT XVIII.

Oppositioni respondetur ex eo ductæ, quod florentinum exemplar græca verba sine latina interpretatione exhibeat; vulgares autem pandectæ græca et latina habeant; vel sine græcis latina. De interpretationis illius auctoribus non satis constat. Doctissimorum virorum de eadem interpretatione iudicia. Nonnulli, qui in ea reprehenduntur, errores recensentur.

VULGARES pandectarum libros e florentinis non esse descriptos, ex eo etiam deducere contendit DONATVS ASTENSIS lib. II. cap. 3. p. 46. et seqq. quod in florentinis quædam capita; seu leges græco dumtaxat sermone efferuntur; in

vulgaribus vero eadem græce et latine conscrip-
tæ sunt, et earum aliqua veluti *lex semper s. S.*
demonstratur 2. D. de iure immunit. latine tantum
scripta in vulgaribus inuenitur. Addit, non
omnium, quæ in latinum sermonem translatae
sunt, auctorem esse **B V L G A R V M :** eas, quæ ex Mo-
destini libris excusationum habentur, latine ab
ipso Modestino scriptas esse, idque ex eodem
stilo, eademque puritate sermonis, qua Mode-
stinus cetera scripsit, comprobari: veteres inter-
pretes eundem iurisconsultum græci latinique
contextus auctorem censuisse: si post annum
cīcxxx. græca in latinum translata essent, insulso
et barbaro eorum temporum sermone conscripta
haberentur; nec disputassent **I R N E R I I** discipuli,
an Modestinus primo græca, deinde latina scripsis-
set; sed eum potius, qui transtulerat, indicassent
multoque etiam minus græci latinique contextus
auctorem ipsum Modestinum arbitrati essent.

Hæc tradit in eruditissimo alioquin opere
A STENSIS, eademque fere habet reuerendissi-
mus **GRANDIVS** in *notis ad epist. de pandectis*
num. 27. quorum alia vera quidem sunt; sed
quod clarissimi viri sibi probandum suscep-
rant, minime efficiunt; alia vero eiusmodi esse
videntur, vt merito negari etiam possint. Ac
primum quod græca tantum verba sine latina
interpretatione in florentinis pandectarum libris
reperiantur, id profecto non impedit; quo mi-
nus

nus ex iis manare potuerint vulgata digesta, in quibus eadem vel græca simul et latina; vel latina tantum habentur. Quum enim in prioribus exemplis ex etrusco exemplari $\alpha\mu\epsilon\sigma\omega\varsigma$ deductis, græca tantum, ut in illo erant, descripta essent, quidni potuerit deinde ab interprete aliquo in eorum margine latina interpretatio adscribi, quam deinde librarii in aliis exinde libris vna cum græcis omissis, quæ superuacanea putabant, latina solum descripserint? Interdum enim librarii græcas voces, quas legere non poterant, plane omittebant, aliquando relicto spatio, aliquando nullo, atque, ut etiam IO. GLERICVS testatur art. crit. parte III. sect. I. cap. 14. n. 26. in omnibus pæne libris latinis, quibus græca admista sunt, talia cernere licet. Græca vox $\lambda\epsilon\psi\alpha\varsigma$, quæ Florentiæ legitur in l. quid ergo, §. Si heres, D. de legat. I. deerat in omnibus libris, quos ANT. AVGVSTINVS inspercerat, ut idem ait emend. libr. IIII. cap. 16. In l. si cui lana in princ. D. de legat. 3. defunt in vulgatis hæc verba: sed $\alpha\upsilon\tau\theta\phi\varsigma$, quæ in florentinis exstant. Ita lex ultima D. ad SC. Trebell. in vulgatis destituitur græca voce $\mu\omega\nu\omega\rho\varsigma$, quæ legitur in florentino exemplari. In omnibus codicibus impressis desiderabatur ALCIATI ætate lex oi $\epsilon\pi\tau\gamma\omega\varsigma$ 49. D. locati, ut ipse tradit *disunct.* lib. II. cap. 2. neque villa erat eius legis latina interpretatio. Integra lex $\alpha\upsilon\tau\theta\omega\varsigma$

I 3

xράτως

xp̄t̄w̄g 25. D. de adpellat. et relat. in multis exemplaribus non habebatur. Sic enim ACCVR-
SIVS ad eam scripsit: in multis libris deest hac
lex, quæ incipit imperator Alexander etc. et nul-
lius utilitatis, nec legenda est. Ex quibus ver-
bis deducitur, in aliquibus exstille latinam
translationem; sed adeo ineptam, ut nullam;
vel inutilem sententiam contineret; quum alias
valde vtilis procul dubio lex sit, eo quippe
Alexandri græco rescripto constat, vetari, ne per-
vim; aut contumeliam; aut manum militarem
quis prohibeatur adpellare et confugere ad
principem. Græca quoque verba ex rescripto
Pertinacis, quæ sine interpretatione latina
leguntur Florentiæ in l. semper 5. §. demonstra-
tur 2. D. de iure immunit, quam ASTENSIS et
GRANDIVS adlegat, omiserunt librarii in vul-
gatis et quum ab iis spatium relictum forte esset,
pro græcis latina deinde descripta sunt.

Quis vero huiusmodi translationem, quæ
in vulgatis leguntur, auctor fuerit, sub iudice
lis est. BVLGARO, insigni pisano iurisconsul-
to, latinam interpretationem, quæ habetur in
l. vlt. D. fin. reg. adscribit ACCVRSIVS; alii
tamen in contraria sententia sunt. Cl. GRAN-
DIVS in epist. ad Aueran. n. 18. sed et, inquit,
quorundam græco idiomate scriptarum legum latina
interpretatio eidem afferitur: quamquam hoc imme-
rito, quum græcas litteras ipse ignoraret, vt Petrus
Bayle animaduertit. Burgundium pisaniū iudicem
nempe

nempe iurisconsultorum, earum interpretationum auctorem existimarunt ODOFREDVS ad l. II. D. de legib. et PANCIROLVS de clar. interpr. lib. II. cap. 15. Hæc quoque a LAVRENTIO PIGNORIO symbolar. epistolicar. lib. I. epist. 39. scripta sunt: *Huic*, nempe Burgundio, sunt, qui adscribant versiones, quæ in pandectis græce leguntur, licet Accursius Bulgarum interpretem esse velit. Ipsam ODOFREDI sententiam non improbat GRANDIVS laud. epist. n. 19. et HEINECCIVS hifst. iur. rom. §. 419. Nonnulli vero BANDINVM; seu GANDINVM pisanum græca pandectarum loca in latinum translatisse censuerunt, ut est apud PANCIROLVM de clar. legum interpr. lib. II. cap. 16. quem BANDINVM anno CIOCCXVIII. obiisse, tradit cl. GRANDIVS in not. ad epist. de pand. num 28.

Quamuis autem BVLGARVS earum interpretationum auctor non fuerit; imo vero etiam si ante annum CIOXXXV. quo pandectarum exemplar Pisis translatum fertur, conscriptæ illæ sint, nihilominus quemadmodum vulgata exempla Rauennæ descripta esse, vero sit quam simillimum; ita etiam græca, quæ in ipso exemplari exstant, loca potuerunt Rauennæ in latinum conuerti. Verum si ex ipsarum interpretationum stilo, ad quem prouocat ASTENSIS, iudicandum sit, earum plerasque rudi barbaroque saeculo maxime conuenire, quisquam facile existimabit. Illud enim aperte constat, ipsarum auctores, quicumque tandem ii fue-

rint barbaro plerumque stilo scripsisse, eosque interdum sententias, quæ græcis continentur verbis, non esse adsequitos. **POLITIANVS** acerrimi vir ingenii, et græci latinique sermonis longe peritissimus lib. x. epist. 4. hæc scripsit: *Multæ vero sunt ibi, hoc est in Florentino exemplari, leges græcis editæ verbis, quas aut omiserunt iuniores; aut in latinum sermonem PESSIME conuerterunt;* idemque græcorum, quæ in pandectis occurrunt, versionem parabat, ut de se ipse testatur lib. v. epist. vlt. in fine. **GVIL. BVDAEVS** in *adnot. ad pand. ad l. penult.* D. de pignorib. hic locus, inquit, græce a **Scaevola** scriptus, ab imperito quodam interprete traductus est, quo modo per multa in pandectis loca, quæ tamen post hac intacta præteribo, ut admonitione nulla indigentia. Sic autem verti debuit etc. Testem quoque locupletissimum adpello **ANDREAM ALCIATVM**, qui dispu[n]ct. lib. ii. cap. 17. de interpretatione eiusdem epistolæ, quæ apud **SCAEVOLAM** exstat in laud. l. penult. hæc habet: *in protritis exemplaribus non satis fideliter græci huius epistole sensus redditur: vt mittam barbaras voces incylatas: quam nec certificationem, nec feneratum, nec suppositionem eo sensu prisci illi iurisconsulti agnoscant: vt indolendum sit, quas græcas voces illi ornatus causa suis scriptis inseruerant, eo temporum culpa decidisse, vt turpissima carcinomata per politis alioquin responsis induxerint* Idem cap. seq. ad l. final. D. de decret. ab ord. faciend.

Quam-

Quamvis, inquit, in impressis codicibus interpretatione quedam græcarum dictionum addita sit, quæ longe nugacior est, et multo plura continet; quam græcum illud comma significet. Quod videlicet variæ expositiones, et recentiorum adnotatiunculae, quæ super contexta iurisconsulti verba adiuncta fuerant, ex subsidiis in ipsam aciem transfere. Ita etiam LVD. VIVES lib. vii, de caus. corrupt. art. Iam, inquit, leges permulta sunt græce scriptæ, et præue in latinum versæ ab interprete imperito, idcirco et pleraque omnia verba simplicia græca, quæ in iure sunt ciuili relictæ, confusa ad nos venerunt, ac deprauata. Complura possem proferre exempla, quæ quantum in vulgatis digestis latina versio a sententia græcis verbis expressa discreper, facile ostendunt; sed unum et alterum dumtaxat iuuerit indicare. Occurrit vexatissima lex vlt. D. fin. regund. in qua, ut cetera omittam de quibus doctissimi viri in diuersas abierunt sententias, in vulgatis δεντρα antiquus interpres vertit ligna, quum nemo non videat redendum esse arbores: Item verba hæc LVCNTITI, qui rerum suarum administrationem commiserat fratri filio, SCAEVOLA refert, in l. creditor 60. §. Lucius 4. D. Mandati: ἐπιτρέπω σοι περὶ πάντων ἐμῶν, ὡς δέλεις πραγματεύεσθαι, εἴτε πωλεῖν δέλεις, εἴτε ὑποτίθεσθαι, εἴτε ἀγοράζειν, εἴτε ὅτιον πράττειν, ὡς κυρίωντι τῶν ἐμῶν, quæ sic in vulgatis latine redundantur: concedo tibi de omnibus meis, ut vis.

negotiarisue venderevis; siue pacisci; siue emere,
 siue quodcunque operari, ut domino omnium meorum.
 Perperam ὑποτίθεσθαι vertitur pacisci. Τποτίθεσθαι
 proprie est oppignorare; vel obligare pro eo,
 quod debetur, siue quid tradatur; siue con-
 ueniat, ut sine traditione obligatum sit. Latini
 veteres opponere dixerunt: latinitas media
 supponere; ideo putat SALMASIVS de modo usur.
 cap. 12. pag. 500. Tribonianum ubicumque veter-
 res iurisconsulti dixerunt opposita bona, re-
 posuisse supposita, quoniam id ex græcismo illius
 temporis magis usitatum, quum ὑποτίθενται ver-
 terent supponere. Ex aduerso ὑποτίθεσθαι
 dicebatur creditor, cui res pignorata; siue oppo-
 sita erat. PHRYNICHVS in ecloga dictionum at-
 ticarum: ὑποτίθητι μὲν δανειζόμενος τὰ ἐνέχεται,
 ὑποτίθεται δὲ ὁ λαμβάνων. Discrimen huius-
 modi minime seruatum ab omnibus. Nam in
 vetero onomastico habetur pignero ὑποτίθέμαι;
 et PHILOXENI glossæ habent ὑποτίθεμαι fiduciati.
 ὑποτίθεμεν fiduciatus. In ea l. 60. §. Lucius 4.
 ὑποτίθεσθαι ponitur pro ὑποτίθενται pignori obli-
 gare, opponere, supponere. Veteris translationis
 errorem, in qua vertitur pacisci, recte agnoue-
 runt ALCIATVS, qui lib. III. disunct. cap. 4.
 vertit obligare; CVIACIVS, qui in l. 1. respons.
 Ceruidii Sceuole, ad eam l. 60. §. Lucius, id in-
 terpretatur pignori obligare; SALMASIVS de
 modo usur. d. cap. 12. pag. 502. vertendum esse
 ait oppignerare.

Inter-

Interdum vero adeo inepta visa est alicuius loci interpretatio, ut nemo vnuſ fortasse auferit eam in contextum admittere: exemplo ſit græcorum verborum, quæ exſtant in l. vlt. *D. de oblig. et act.* interpretatio quam ad fert ACCVRSIVS, ſiue alius glossographus ibidem in V. *infra scripta*. Quum enim subscriptio quædam hiſce verbis concepta eſſet: Λγνιος Καλανδιος ἐπέγνων παθως προγέγεαπται. εἰν λοιπά παρ ἦν δΦειλόμενα τῷ δεῖν τόσα: quorum ſententia eſt: *Lucius Galandius agnoui*, quemadmodum ſupra ſcriptum eſt: *reliqua ſunt, quæ a nobis debentur illi tot.* Interpretatio, quam habet ACCVRSIVS, hæc eſt: *Scias, quod ego exigam a debitoribus Seii argento*, et mittam tibi ad facienda vafa. Quæ ſane quid cum laudata ſuperius ſubſcriptione commune habent? Merito proinde eis τῷ κείμενον recepta non ſunt; ſed græca tantum verba in vulgatis retinentur.

Itaque ex adlatis aliisue ſimilibus locis, in quibus vulgata digeſta græcorum verborum translationem habent, qua caret Florentinus pandecta, probari poſſe negauerim, vulgatos libros ab eo non profluxiſſe, quum fieri potuerit, ut exemplis ab eo deductis versiones huiusmodi adiectæ ſint. Earum certe ſubleſta fides, ac perspecta barbaries in cauſa fuit, ut plerique viri doctiſſimi nonnullas emendarent; vel iſpis repudiariſ nouas adferrent, ut præter ALCIATVM ANTONIVS AVGVSTINVS ad Modestin. lib. sing.

MO DISQVISITIO DE FLORENTINO

sing. AEGIDIUS MENAGIVS in amoenitat. iuris
ciuil. aliique. Demum ὁ πάντα ANTONIUS MA-
RIA SALVINIUS præceptor meus græca in
pandectis loca in latinum transtulit, quam ver-
sionem una cum pandectarum cum Basilicis
comparatione BRENCMANNO tradidit, eodem
BRENCMANNO teste lib. III. cap. 6. pag. 390.
vbi et cl. BYNCKERSHOEKII verba profert, quæ
ad SALVINII laudem pertinent veteremque
translationem reprehendunt. Dolendum vero est
maxime, eam præstantissimi viri translationem
non adhuc publicam lucem inspexisse; attamen
spes est fore, ut GEORGIVS CHRISTIANVS
GEBÄVERVS, iuris professor Goetting. ad quem
BRENCMANNI scripta peruenisse ferunt, eam
typis mandandam curet, in noua, quam ip-
sum parare audio, pandectarum editione.

CAPVT XX.

Modestinum IC. non esse, ut putat ASTENSIS,
auctorem eius interpretationis, qua libri ex-
cussionum in latinum vertuntur. Errores
quidem interpretationis indicantur.

SED ut ad ipsas et DONATI ASTENSIS oppo-
sitiones reuertamur, nulla ratione eidem
assentendum videtur, qui lib. II. cap. 3. pag. 47.
quum de legibus tractet, quæ ex Modestini li-
bris excusionum in pandectis habentur, non
modo græci contextus; verum et latine inter-
pretationis auctorem eumdem iurisconsultum
existimat. Sic enim ait: *E posto a fronte il-*
testo

testo latino coll' altre opere dell' istesso autore , fi
veggono scritte all' istesso stile nella medesima purità
di lingua , che l' altre cose di Modestino scritte si
conoscono ; a guisa che chiunque sottilmente le guar-
da non può farne altro autore , che il meaeismo
Modestino : Idemque pag. 49. E quando dir si
volesse , che dopo il trouamento di queste pandette
si fosse dal græco Pisano portato in latino nelle vol-
gate . si vedrebbe il latino scritto in quella scia
e barbara lingua , che in que' tempi si scriveva ,
e non già in vna così buona , come ciascuno il co-
nosce . Plura quidem in pandectis extant ab
hoc non contemnendæ auctoritatis iurisconsul-
to , vt eum vocat GORDIANVS , in *l. ad exhibendum 5. C. ad exhib.* latinis verbis eleganter
admodum scripta , quamuis nonnunquam græ-
cis loquutionibus ipse vratur , quemadmodum
obseruat MERILLVS , lib. III. obs. cap. 33.
Interpretationem vero legum , quæ sunt ex græ-
cis ipsius libris excusationum desumptæ , barba-
ram iure optimo dixit ANT. AVGUSTINVS in
lib. sing. ad Modestin. in princ. et in fine , aucto-
remque ipsius barbarum interpretem sæpenu-
mero adpellauit in eodem libro , veluti ad *l. i.*
D. de conf. tut. et ad l. scire oportet , §. qui in
legatione *D. de tut. et cur. dat. ad l. 2. D. qui pet.*
tut. vel. cur. ad l. 2. D. sed et si quis , *D.*
de excus. Quid ? quod præter ipsam
barbariem , quam isthæc interpretatio pluri-
mum redolet , multa ibidem sunt loca , in qui-
bus mente iurisconsulti non est adsequutus
inter-

interpres? Itaque nisi Modestinum, qui græce excusationum libros perspicue et eleganter scriperat, qui in latinis libris polito dicendi genere vsus est, adeo græci latinique sermonis rudem atque ignarum putemus, ut, quam græcis verbis sententiam expresserat, latine reddere prorsus nesciret, negandum omnino erit, eumdem esse illius interpretationis auctorem. Quamquam vero complura liceret in medium adferre exempla, ex quibus liquido constaret, barbarum illum interpretem a sententia græce scripta longe aberrasse, duo tantum proferam, quæ id luculentissime ostendunt.

Primum est ex l. 2. §. 1. D. qui pet. tut. vbi quod florentiæ legitur ὁσίας χάριν vetus Modestini interpres transtulerat: *puritatis causa* **CONTIO** teste *disput. lib. 1. cap. 16.* Sed **ANT. AVGUSTINVS** in *lib. sing. ad Modestin. ad l. 2. §. 1.* ait barbarum interpretatum esse *pietatis gratia*. **HALOANDER** legit *prauitatis*. Recete idem **AVGVSTINVS** verit*defunctionie*, quod et probat **WIELINGIVS**, *lect. iur. ciu. l. 1. cap 3.* Agit eo loco **MODESTINVS** de matre, quæ legitima filii hereditate priuatur, si tutorem filio non petierit; vel si quem petierit, *οσιδις χάριν* petierit, id est, *defunctionie*, seu *dicis causa*; nempe ut petendi munere defungeretur; siue, quemadmodum vulgo loquimur, *pro forma*, atque, ut adfirmari possit eam petuisse; reuera autem ille eiusmodi sit, ut se possit excusare. **VLPIANVS** **Modestini**

destini præceptor in l. 2. §. non solum 32. D. ad SC. Tertyll. non solum autem quæ non petiit, coercetur; sed et quæ defunctorie petiit, ut rescripto declaratur, vel priuilegio munitum, vel oneratum tribus puta tutelis; sed ita demum, si data opera hoc fecit. Ad rescriptum idem respxisse MODESTINVS videtur in ea l. 2. §. 1. D. qui pet. tut. vbi perperam in vulgatis vertitur, sed et si quem petierit, qui prauitatis gratia dimitti poterat.

Alterum exemplum est in l. si duas 6. §. de philosophis 7. in vulgatis l. sed et reprobari 7. in princ. D. de excusat. Refert in eo loco MODESTINVS D. Pii constitutionem, vbi, postquam dictum est, philosophos, qui diuitiis abundant, libenter præstatureos auxilium patriæ additur: εἰ δὲ ἀκριβολογοῦντο περὶ τῆς θείας, αὐτόθεν ἡδη Φανεροὶ γενησονται μή Φιλοσοφῶντες: Vetus interpres: si autem proprie loquuntur de substantia, iam inde manifesti sunt non philosophantes: quæ quam inepta sint, nemo est, qui non videat. Sane ἀκριβολογεῖσθαι est adcurate dicere, exacte disceptare, exquisite disputare et estimare. At non ea significatione id verbum usurpatum in ea lege: ἀκριβῆς non solum de adcurato, sed etiam de avaro, et sordido dicitur. HESYCHIUS: μηδελόγος, ἀκριβῆς, Φειδωλὸς, Φειδολοφίλος. ARIST. III. etic. ἀκριβολογία sumit pro nimis exacta sumptuum ratione: ή γάρ ἀκριβολογία μηδοπεπέτες: ita ἀκριβολογεῖσθαι etiam est exactam sumptuum rationem subducere. Οὐσία vero

vero essentiam quidem et substantiam s^ep^e significat: *οὐσίαν* pro substantia, et materia sumit **VLPIANVS** in *l. venditionibus* g. §. vlt. *D.* de contr. emt. inde queritur, si in ipso corpore non erratur; sed in substantia error sit: *Marcellus* scripsit libro sexto digestorum emtionem esse et venditionem, quia in corpus consensum est, et si in materia sit erratum: ego in vino quidem consentio, quia eadem prope *οὐσία* est, si modo vinum acuit, in ceteris autem nullam esse venditionem puto, quotiens in materia erratur. **LAERTIVS** in *Zenone Cittieo*, vbi de Stoicorum placitis loquitur: τὸ μὲν ἐν πάσχον εἶναι τὴν ἀποιγὴσίαν τὴν ὄλην, quod igitur patitur sine qualitate esse substantiam materiam. Verum quis ignorat, *οὐσίαν* designare etiam opes, facultates, patrimonium; siue substantiam, ut **VLPIANVS** loquitur in *l. tutor.* 3. §. nunc videamus 5. *D.* de susp. tut.? Græci omnia bona, siue immobilia; siue mobilia *οὐσίας* nomine significabant. **PHILOXENI** glossæ: *οὐσία*, patrimonium substantia, res familiares, facultates. Et alia ab atticis dicebatur *ἀρετὴς οὐσία*, cuius adpellatione pecuniam numeratam, mancipia, vasa, aliquaque suppellectilem, omnes demum res mobiles intelligebant: alia dicebatur *φαρεγὰ οὐσία*, quo nomine res soli, prædia urbana et rustica continebantur: *οὐσία ἔγγειος* prædia urbana ac rustica, significat apud **LYSIAM**. Interdum vero *οὐσίαν* absolute vocabant, quæ in rebus soli consistebat: ita *οὐσίας δίην* erat secunda actio, quæ inten-

intendebatur aduersus possessores agrorum; aut ædium: etenim prima actio erat de pensionibus ædium; vel de fructibus agrorum: secunda instituebatur, ut creditor in possessionem ædium agrorumque immitteretur, ut ex HARPOCRATIONE discimus. Tertia dicebatur ἔξαλη δίνη, quam instituebat, qui iudicio vicerat ac per vim prohibebatur, possessionem accipere; vel per vim deiiciebatur de possessione, in quam inductus erat: ἔξαλη atticum nomen est, ἔξελαι namque dicebant extrudere, atque expellere vi, vt ait LIBANIVS in argumento orat. I. Demosth. aduersus Onetorem unde ui. Solas autem res immobiles στοιας nomine interdum designari, ex ipso etiam DEMOSTHENE comprobatur, a quo in orat. aduersus Timotheum dicitur στοια ἐφωρικέν (sic legendum cum SALMASIO de modo usur. cap. 12. pag. 508. non ut vulgo αὐφωρισμένη) id est res immobilis pro debito obligata, cui scilicet ὄποι impositi erant, id est columellæ, cippis; seu lapidibus terminalibus similes, quæ in obligatis prædiis defigi, constituique apud atticos solebant, et in quibus nomen creditoris, cui fundus; aut domus obligata fuerat hypothecæ nomine, atque idem summa debiti, et causa inscripta erat, de quibus SALMASIVS de modo usur. cap. 15. pag 636. et seqq. Sed hæc εὐ παρόδω dicta sint; nunc ad MODESTINVM, a quo digressi sumus, regrediamur. Igitur quæ græce idem scripti laudato loco,

K

ita

ita verienda sunt cum ANTONIO AUGUSTINO: Quod si studiose (vel cum AEGIDIO MENAGIO amaretur iuris ciuil. cap. 33. auare:) contendat de re familiari, iam inde ostendent facile se non esse philosophos. Atque haec interpretatio confirmari potest ex I. in honoribus 8. §. philosophus 4. D. de vacat. et excus munerum l. professio 6. C. de munerib. patrimonior. l. reddatur 8. G. de professorib. et medic. vbi elegantissimum illud habetur: turpe enim est, ut patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur.

Quoniam ergo et barbara est et græcae linguae imperitum hominem auctorem suum arguit vetus illa interpretatio, maneat profecto, eam non esse cum ASTENSI HERENNIO MODESTINO, græce latineque peritissimo, adscribendam. Quod autem ASTENSI idem ait, HYGONEM aliquosque veteres interpretes translationem illam HERENNIO tribuisse, id certe probare potest, eius auctorem non esse Bulgarum, qui οὐγκονος erat HYGONI; neque Burgundium, qui eodem; ac illi, saeculo duodecimo floruit. Verum nihil obstat; quo minus alitus quispiam Bulgaro antiquior, forsitan Rauennæ, græca MODESTINI verba in latinum transtulerit. Addit quoque ASTENSI eod. lib. II. cap. 3. pag. 49 Tanto più, che se l' uno avesse avuto dipendenza dall' altro testo, si vedrebbero amendue o nel Greco, o nel nudo Latino: quasi vero nunquam librarii in describendis latinis libris græca iis admistaverba

verba omittere et latinam dumtaxat versionem in margine alicuius libri adiectam adscribere consueuerint. Sane si priora illa exempla ex etruscis libris descripta adhuc extarent, in iis græca MODESTINI verba sine latina interpretatione, puto, haberentur, aut hæc ad oram adscripta esset; verisimile enim videtur, latinam versionem in sequentibus deinde exemplis, quæ ex primis illis propagata sunt, receptum esse in contextum, atque, ut ALCIATVS ait, e subli-
dūs in aciem transisse.

CAPVT XXI.

*Cl. Donati Astensis conjecturæ quædam
expenduntur.*

QVVM vero in pandectris florentinis fragmen-
ta ex MODESTINI libris excusationum, aliaque græce scripta sint; in vulgatis autem dumtaxat latine, duo hæc ASTENSIS lib. II.
cap. 4. pag. 89. deduci illinc posse arbitratur:
primum nempe, amalphitanos a græcis ce-
lebres illos pandectarum libros accepisse; alte-
rum, duo pandectarum exemplaria fuisse a
Justiniano edita, quorum altero Græcia cum
reliquis orientalis imperii partibus viceretur, et
in eo græca MODESTINO verba descripta esse: al-
tero, cuiusmodi vulgata digesta sunt, re-
geretur Italia ac ceteræ occidentalis imperii
partes, atque in ipso latinum MODESTINI con-
textum exaratum esse, rationemque subiicit, quod

K 2

præter

præter hanc vnam, alia eius varietatis cauſſa
adferri non potest.

Verum et hoc loco a doctissimi viri senten-
tia discedendum videtur. Ad primum enim
quod attinet, ex eo sane, quod florentinum,
ut hodie adpellari mos est, exemplar latīna
versione careat, consecrarium illud non effici-
tur, amalphitanos a græcis illud accepisse.
Quidni accipere potuerunt ab aliis, qui idem
a Græcia multo antea in Italiam adexissent?
Nam quicumque græcum aliquem codicem pos-
ſidet, cui latīna versio adiecta non fit, illico
eum a græcis hanc accepisse adſirmabimus?
Neque magis vrgere puto alteram ipsius con-
jecturam de duobus pandectarum exemplaribus
a Iustiniano diuera ratione editis. Nam si
ea mens imperatori fuisset, exemplar illud,
quod occidentis imperio destinarat, ita descri-
bendum curasset, ut non ſolum HERENNII
MODESTINI fragmentis; verum et ceteris quo-
que legibus, in quibus græca scripta ſunt, latīna
translatio aut substitueretur; aut addere-
tur: eam tamen pluribus in locis vulgata ipsa
digesta non habent, veluti in l. *fraus D. de le-*
gibus, l. *ſolet D. de off. proconsi l. ex ea 29. §.*
idem respondit, D. de testameut. l. testamento bo-
D. de manum. testam. l. Procurator. Scū in princ.
D. de oblig. et act. etc. Nec mouet ratio ab
ASTENSI tradita his verbis: *per non poterſi in tal*
diuario, ſaluo chea queſta ragione attribuire. Quod
enim

enim vulgata digesta contextu græco pluribus in locis destituantur, ea longe verisimilior adferri causa potest, quam superius innuimus, nempe quod librarii, ut, quæ descriebant exempla italis hominibus commodiorem usum præstarent, eademque adeo vñire facilius possebant, latinam translationem adiiciebant, si in antiquioribus exemplis e florentino deductis adscripta esset; quum vero partim celeritati studebant, quo citius quæstum facerent; partium græca verba describere, quæ plerumque in Italia negligebantur, superuacaneum putarent, ea prorsus omittebant, vbi præsertim, ut est in MODESTINI fragmentis, fines suos græca longius proferrent. Ipsa quoque in primis accessit imperitia librariorum, qui non modo sententiam græcis verbis propositam non percipiebant; sed ne ipsa quidem græca elementa nouerant: cuius rei testem locupletissimum adpello HENRICVM BRENCMANNVM, qui in hist. pand. lib. III. cap. 3. pag. 248. de MS. pandectarum codicibus, quos inspicerat, sic loquitur: *Raro autem græca adesse comperi, eaque prorsus imperfecta, hoc est, sola græcarum dictionum vestigia, latinis litteris expressa. Vide- licet cum græca elementa in Tusco exemplari magna- nam partem eadem sint, quæ latina, solas commu- nes litteras descriperant: ex ceteris, quas non intelligebant, aut ductus informes effecerunt; aut in adfines latinas transformarunt.* Quare nil profe-

K 3

cto

cto mirum esse cuiquam debet, si alii posteriores librarii, qui ex huiusmodi codicibus alias subinde libros describebant, satis putarent, hæc ita scripta omittere, et pro iis latinam potius, si alicubi adiecta reperiretur, translationem inferere.

Quod hactenus expositum est, eo maxime pertinet, ut facile deprehendi possit, qualis et quanta esse debeat apud cultioris iurisprudentiae studiosos, adeoque critices artis peritos florentini exemplaris auctoritas. Etenim duo hæc ex iis, quæ dicta sunt, colligi posse videntur: primo nempe, quum imp. Iustiniani; seu Tribonianii prototypum non sit; sed ex alio apographo; aut forte ex pluribus, ex quibus menda quædam in hoc irrepererunt; olim descriptum, non adeo semper et ubique fides huic præstanta est, ut nulla ratio, auctoritas nulla a florentina lectione dimouere nos possit, et ab ipsa ne latum quidem vnguem, vel minimum iota; aut apicem vñquam recedere liceat; secundo, quoniam ex insigni hoc Ms. ceteri omnes, quos hucusque superesse nouimus, digestorum libri profluxerunt, in pari causa Florentina lectio est præferenda: si hæc defendi recte non possit, quod bene habet in aliis exemplis, id felici emendationi atque, ut uno dicam verbo, εὐσοχίᾳ maxime tribuendum.

CAROL.

CAROL. FRID. WALCHII
OBSERVATIONVM
IVRIS CIVILIS
SPICILEGIVM
AD
V.C. LEOP. ANDR. GVADAGNI
DE
PANDECTIS FLORENTINIS
LIBELLVM.

CAROL. ERID. WALCHI
OBSERVATIONUM
LARIS CIVITATIS
STRICULAE
AD
AC. TROP. AND. GADAGI
PANDICAS. LITORANTINIS
PIABELLA



I.

*Ad caput III. verb. Volusius -- in libello
de asse.*

TRIBVIT consult. auctor huic iurisconsulto libellum
de asse; sed multi hac de re dubitant, quum ideo
solum quidam, eum fœtum esse ingenii Volusii, existi-
mant, propterea quod Mæcianus auctor huius libri
vocetur; præterea autem stilus a venustate dictionis,
quam alioquin sequitur Volusius, maxime abhorret. Docent
id CHRIST. GOTTFR. HOFMANNVS, *histor. iur. vol. I.
part. I. cap. I. p. 331.* et consult. 10. WVNDER-
LICH, *diss. de Volusio et Scto Volusiano*, Hamburgi,
CIO 10 CXXXVIII, edita, p. 18.

II.

Ad idem caput, verb. schola singularium.

EGO quidem aliud statuo de schola singularium,
cuius mentio fit in l. I. C. de off. præfector. prætor.
Africae. Illos eosdem singulares equites esse existimo,
qui, instituti ab Augusto, exubias peregerunt: man-
data præfectorum per prouincias portarunt et in eos,
qui delictis se polluebant, inquisuerunt. Memorantur
illi apud TAGITVM, lib. II. *historiar. cap. 70.
tom. II. p. 354. CASSIODORVM, lib. X. var. cap. vlt.*
et in multis lapidibus apud GRUTERVM, REINESIVM,
GORIVM, MVRATORIVM aliasque. Hi quum itaque
minime officio, per siglas scribendi, fungerentur, ut
arbitrantur BRENCMANNVS, lib. II. *hist. pandectar.
cap. 5. p. 141.* et auctor, neque dicti sunt a siglis singu-
lares; sed eam ob caussam nomen hoc acceperunt, quod

K s

vno

vno vterentur equo atque in eo se distinguerent a de-
sultoribus, cui equibini, quorum de vno desiliebat in alte-
rum, id quod belle vetus interpres apud GER. 10.
VOSSLUM, lexic. etymolog. p. 475. nos docet. Probabi-
litor saltem mihi hæc origo videtur; quam ea, quam
exhibet GVTHERIVS, de offic. domus augustæ, lib. II.
cap. 14. p. 402. præter quem de his equitibus videoas;
GVID. PANCIROLLVM notit. dign. viriusque, cap. 20.
tom. VII. thesaur. antiqu. Roman. p. 1343. RADB. HERM.
SCHELIVM, not. ad Polyb. de castrametat. p. 44.
THOM. REINESIVM, not. ad inscript. clas. I. inscr. 16.
et IO. GOTTER. RICHTERVM, in exegesi inscript.
antiqua, Lipsiæ 1510 CXXXVIII. edita.

III.

*Ad idem caput verb. legendum potius
notoriis.*

INTER eos, qui alteram lectionem probant,
principem tenet locum IAC. GVTHERIVS, de offic.
domus augustæ, libr. IIII. cap. 9. p. 593. Recte vero
cl. auctor deflectit de illius sententia, quamvis non
nulli codices ei fauere videantur. Nam in iis hanc le-
gem eadem ratione; qua in SYMMACHI libr. x. episto-
lam 4. deprauatam omnes deprehendunt, quos notio non
fugit, quam vocabula uatoria, notorium, in AVGYSTI-
NI epist. CLX. tom. II. operum, p. 430. edit. Bene-
dictinor. et APVLEII, milesar. libr. VI. p. 425.
ac excitatis legibus sustinent. Conferas; IO. WOWERIVM,
polymath. cap. 5. p. 51. FRANC. IVRETVM not. ad
Symmachum, libr. x. ep. 4. IAC. GOTHOFREDVM,
glossar. uomic. codicis Theodosiani, illius tom. VI. p. 239.
edit. RITTERI et CAR. DV FRESNE, glossar. mediae et
infimæ latinitatis, tom. IIII. p. 1227.

III.

III.

Ad idem caput verb. librarios a notariis distinguit.

VOCABULI: *librarius* notio mox latior existit; mox strictior. Generatim omnes, qui scribendi munere funguntur, sive sint notarii; sive aliam in classem referendi, notarii sunt dicti. Non solum id ex MODESTINO pater, qui *l. 15. §. 5. D. de excusat.* librariorum solum et calculatorum meminit ac silentio prætermittit notarios; sed docent id etiam *SCAEVOLA l. 92. D. de R. I. ac CICERO, libr. III. de oratore et orat. pro lege Agraria, cap. 16.* dum id tribuunt librariis, quod notiariorum erat proprium: immo idem fere iam statuere videntur *ANT. AVGUSTINVS ad Modestin. libr. singul. de excusat. tom. IV. thes. iuris civilis Ottoniani, p. 1600. TIT. POPMA de operis seruorum, p. 67. ac BRENCMANNVS, loc. excitat.* Horum librariorum duplex erat genus. Alii librarii sunt dicti; alii vero notarii. Inter eos non præcipua erat differentia, ut sibi persuadet *BRENCMANNVS, hist. pandect. libr. II. cap. 5. p. 3.* quod librarii scribendo omnes exprimerent litteras; per siglas vero scriberent notarii; sed in eo differebant potius, quod librarii vniuersos describerent libros et notarii id, quod alii vel in iudicio; vel extra illud ipsis dictarent, exciperent ac solum ideo notiariorum nomen gererent, quia saepius notis vterentur. De illis plura proferunt: *CASP. BARTHIVS, libr. I. aduers. cap. I. p. 2324. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS de scribis vet. Roman. in dissertat. academicis, p. 260. CHRIST. SCHOETTGENIVS de scrib. librariis et bibliopol. veterum, §. 1111. IO. NIC. FUNC-ELIVS de script. veter. cap. VII. p. 234. et suauiss. frater, diff. prior, de arte crit. vet. Roman. p. 13. de his vero TIT. POPMA de operis seruor. p. 71. IO. WOWERIVS polymath. cap. 5. p. 50. et LAVR. PIGNORIVS deseruis, p. 208.* videndi sunt. Ab his penitus itaque discrepant



crepant calculatores, rationarii, et adiunguntur librariis a iurisconsultis, quoniam etiam artis scribendi periti erant; ac expedita in scribendo celeritate maxime cum notariis conueniebant. Belle id monstrat MARTIALIS *libr. x. epigram. LXII.* Conferas POPMAM loc. *excit.* et BRENGMANNVM *libr. II. histor. pandect. cap. 5. p. 241.*

V.

*Ad idem cap. verb. tabularii etiam in
rebus priuatorum.*

QUEMADMODVM male nonnulli confundunt tabelliones, tabellariorum et tabularios, ut recte animaduerit IAC. GOTHOFREDVS *comment. ad codic. Theodos. tom. II. p. 488.* ita maxima cura ipsos tabularios distinguere nos oportet. In eo omnes conueniunt, quod a tabulis sint dicti; magnum tamen erat discrimen inter tabularios, qui, susceptoribus adjuncti, rationibus publicis praefecti erant atque inter eos, quos pro pupilis stipulari oportuit. De illis, quorum in prouincia duo erant, quiue non seruilius esse debebant conditionis ex sanctione ARCADII et HONORII, loquuntur SIDONIVS APOLLINARIS, *libr. IIII. epist. 10. marimora apud SPONIVM, miscell. erudit. antiquit. p. 217. REINESIVM claf. VIII. inscr. 36. et GRVTERVM thesaur. inscript. p. II. inscr. 5. leges*, quæ in vtroque codice, Theodosiano et Iustinianeo titulo de tabulariis continentur, aliaque antiquitatis monumenta, a PETR. BVRMANNO, de veccial. pop. Roman. *cap. 8. p. 120. HENR. VALESIO, not. ad Ammian. Marcellin. libr. XXVIII. cap. 1. p. 553. IAC. GOTHOFREDO, loc. cit. QVID. PANCIROLLO notit. dign. viriusque, cap. LXXVII. et 10. GOTTER. RICHTERO de tabulariis veter. Romanor. adlata; ab his vero longe diuersum erat alterum tabulariorum genus. Serui illi erant publici, iudicibus seruientes, qui, quod pecuniam publicam exigere debuerunt, tabularii sunt dicti; apparitorum tamen simul*

